

ACTA HUBERIANA, Collecta LUBECÆ,

Editaque D. III, Junii, A. MDCCVII.

à

GEORG. HENRIC. GOETZIO,

S. S. Theol. Doct. & Superint. Lubecensi,

&

In Colloqvio Solenniori

proposita

JOH. CHRISTOPH. TESTORFF, Lubec.

Vocato Pastori Ecclesiæ Neo-Gammensis in
Circulo Bergedorffensi.

—

—

L U B E C Æ,

Literis Viduae B. Schmalhertzii.

175.

a. XXI. 1.

Coll. diss. A
41, 1



PRÆFAMEN.

Certamen maximè infestum, ac luctuosum, sanctiori Divini Numinis Cœtui fuit, qvod exeunte Seculo XVI. movit D. SAMUEL HUBERUS, Berna - Helvetius, Theologus Wittebergensis, dum universalem omnium Hominum Electionem ad Vitam Æternam audacter nimis & pertinaciter, ore & scriptis, docere & propugnare sustinuit. Et qvamvis malo huic, anteqvam serperet ulteriùs & radices figeret, mederi, illudq; tollere studuissent Theologi, qvos Saxonia illo tempore habebat, munerum sanctitate, doctrinæq; integritate florentissimi, Polycarpus Lyserus, Ægidius Hunnius, Georgius Mylius, Zacharias Schilterus, ac Burchardus Harbartus, ac prudenter placidèq; cum novi hujus Dogmatis Conditore egissent, factum tamen est, ut, nescio qvo casu, in nervum eruperit deniq; turbasq; dederit haud contemnedas. Supersedeo nunc integrum Historiam Controversiæ hujus, magnâ animi contentione agitatæ, commemorare, ea enim partim ex Consiliorum Theologorum Wittebergensium P. I. p. 507. sqq. partim ex solidissimo Scripto Germanico, qvod D. Polycarpus Lyserus A. 1604. (*) adornavit, hauriri potest. A qvibus nec abesse volo Atta illa Huberiana, qvæ Tübingæ A. 1597. fuere collecta, & duabus partibus absolvuntur, qvæ totum negotium, Theologis istius loci celebratissimis exhibitum, fusiùs exponunt. Ut luculentam illam Dissertationem, qvæ A. 1704. in Acad.

Witte-

(*) Titulus istius Scripti hanc in modum conceptus legitur: D. Polycarpi Leisers Abgennigter Bericht / für fromme Christliche Herzen / beydes von dem leidigen Streit / welchen D Samuel Huber über den Artikel von der ewigen Gnaden- Wahl Gottes / vor etlichen Jahren erreget / und dann auch von der Provocation, welche er den unlängst A. 1604. gehaltenen Leipzigischen Oster-Marcßt/ an alle Theologos, Superintendenzen und Diaconos publicaret hat / Leipzig 1604. in 4to.

Wittebergensi, sub Celeberr. Dn. D. J. Georgij Neumanni Ductu, de Huberianismo, falso nobis imputato, prodiit, & varia, lectu non indigna, atque ab aliis fortè prætermissa, complectitur, intactam penitus relinqvam. Hoc tamen dissimulare neqveo, novellum Historiæ Ecclesiasticae & Hæreticæ Scriptorem, Gothofredum Arnoldum, Huberisententiam T. I. P. II. L. XVI. C. XXX, prolixè enarrantem, cautè admodum esse legendum. In totâ enim narratione Arnoldinâjure meritoq; desideraveris, quod tantum non omnia è scriptis Huberi desumserit, reliqua verò scripta sciens ac volens præterierit, ne fucus, quem facere volebat Arnoldus, detegeretur. Judicare poterunt alij, an non oportuisset Arnoldum vel utriusq; partis litigantium Scripta excerpere, velex iis sine partium studio delibare, quæ ad elucidandam illam controversiam aliquid poterant conferre, vel tabulas publicas Academiæ Wittebergensis & alias, è quibus Scriptorum Anti-Huberianorum plurima fuerunt descripta, chartis privatis Huberi de se ipso & causa sua testimonium fide non satis dignum perhibentis anteponere. Ast quia errori Huberipatrocinari volebat Arnoldus, alij nec poterant nec debebant audiri, prout verè judicat magni Lyseri Pronepos celeberrimus, mihiq; non unâ de causa singulari honore afficiendus, Dn. D. Polycarpus Lyserus, in Scripto Apologetico, G. Arnoldi Historiis opposito, p. 73. sqq. ubi varia in medium afferit, quæ ad illustrandam hanc quæstionem, ab Hubero propositam, pertinebunt. Hisce autem non sine emolumento quodam superaddi poterunt Epistolæ illæ ac *Judicia Theologica*, quæ in Causa Huberiana perscripta fuerunt ac lata, atque in scriniis Reverendi Presbyterii Lubecensis hactenus delituerunt. Illa enim, quantum ego quidem conjicio, tum ipsius Huberianum, rixosum valdè, prodent, tum ejus doctrinam impugnabunt, tum Zelum denique justum, cum prudentiâ conjunctum, Ministerii Tripolitani satis superque declarabant. Dum autem in eo sum, ut hæc, quæ asservata fuere, Collectanea publici juris faciam, non incommode ea ad duas Classes referri posse existimo, ita quidem, ut in prima fistam Epistolas, vel ab Hubero, vel ab aliis Theologis, ob Huberi litigium, perscriptas, in altera verò exhibeam *Judicium de Controversiâ illa latum*. Faxit modo Deus, ut hic Labor unicè vergat in sui sanctissimi Nominis Gloriam, veritatisque Incrementum, atque piorum Theologorum Innocentiam afferat fortiter, tueatur, atque vindicet.

CLASSIS PRIMA.



Nitio autem *Epistolam* ipsius *Huberi*, ad *M. Georgium Meisnerum*, qui primum *Viri Generosi & Magnifici Dn. Hermanni von Dorne* proli ab Informatione fuit, (ceu ex *Epistola illa*, quam *B. D. Aegid. Hunnius A. 1589. Marpурго* ad eum scripserat, & *Concionimeæ, Lübeckischer Schulbrunnen* dictæ, p. 34. seq. inserui, colligi potest) ac postea *A. 1592. ConRectoratus officio* in *Schola Lubecensi* admotus fuit, exaratā, exhibere placet:

D. Huberū M. Meisnero.

D. *Hunnius & asseclæ ipsius à me flagitant, ut doctrinam, de electione omnium hominum ad salutem per Christum, recantem & abjiciam.* Hoc nolo, quia Deus me prohibet verbo suo: & quia simul multæ aliæ rationes quoque concurrerunt. *Hoc tibi scriptum mitto, ut videoas, cur nolim, ne mihi pro contumacia imputes, Res est magni momenti, & nova Hunniana Doctrinæ totum adducit Calvinismum.* Hic plura jam addere nolo, quia ex scripto multa colliges. Confessionem meam scripto etiam exhibui Dominis Commissariis, quam puto exhibitam esse Principi Clementissimo. Hanc cuperem excudi, & te rogo, ut mihi, apud typographos tuos, locum aliquem, ut excudi queat, exquiras: nullam illa habet invectivam, omnia in adversam partem, sed tantum sententiæ meæ expositionem & declarationem suis fundatam argumentis. Si excuderetur, fortasse impleret folia 12. & aut circiter. Quæso, mi Dn. Magister, apud typographos tuos mihi dispicias, ego tibi in maioribus deservire cupio: & quam citissimè mihi rescribas: quod facere potes, si miseris literas Magdeburgum ad D. Saccum, vel alium aliquem tibi notum, nisi præbeatur alia occasio. Adversa mea pars edidit scriptum contra me satis illepidum: sed nondum in procinctu sum contra illud. Nostri Calvinistæ valde jam vocales attollunt capitella sua, quæ ante motam hanc quæstionem in fumum suum abdiderunt. DEus misericors advigilet Ecclesiæ suæ. Vix fuit unquam periculosior status hujus Ecclesiæ. Torgæ cum D. Mylio, qui confitetur, se recedere à doctrina de prædestinatione, quam hic inter visitandum afferit, contuli coram Dominis Commissariis Electoralibus,

ralibus, sed nihil est effectum, quām *quod Hannius in sua particularitate*
dine, D. Mylius in sua defectione, D. Huberus in sua Confessione constans manet.
Reliqui Theologi discesserunt, ego nondum sum dimissus: &, ut suspicor,
tota causa est delata ad Electorem Brandenburgicum. Pendeo à Dei
voluntate, certus fore eventum lātum, licet per obscura & dura
media. Sic enim solet Deus veritatē suam eruere. Scriptum hoc bonis
quibusvis communicare potes. Torgæ mense Sept. die 14. A. 94.

Huic superaddi debent Literæ totius Presbyterii Lubecensis,
ad Reverendum Ministerium Lunæburgense scriptæ, & hunc in modum
conceptæ:

S. Reverende & Clarissime D. Superintendens, amice &
frater in Christo observande,

EGO aliquot hebdomadibus vehementer & oculorum lippitu-
dine, satis molesta, ita laboravi, ut nec hodie ab ea planè li-
ber sim: Ideoqve factum est, ut, de Huberianis negotiis & mol-
tionibus, non concessum mihi fuerit, ut oportuit, & fieri debuit,
R. D. Tuam certiorem facere. Rogo igitur, ut moram hanc meam
inevitabilem non molestè ferat. Rem igitur totam, breviter, ut
ea à nobis cum ipso gesta est, commemorabo. Cum primum in
meis me ædibus & inopinato convenisset, de controversia sua me-
cum acturus, conspectu ipsius sic offensus sum, propter tam contu-
maciter ab ipso in Ecclesia motam & acerbissimè hactenus defen-
sam universalis suæ, toti Ecclesiæ Christi ignotæ prædestinationis,
omnium hominum indiscriminatim ad salutem, controversiam,
omni fundamento scripturæ destitutam, ut serio eum objurgarem,
& magis ipsi succensui, eò quoniam, postquam ob sententiæ impiæ
assertionem, ab officio, publicâ autoritate, remotus sit, ad Ecclesias
hasce Saxonicas & maritimas, qvæ Dei beneficio hactenus tranquil-
læ & concordes fuerunt, configerit, ut & eas in hoc certamen,
aut ejus societatem, pertraheret, Errare eum, si confidat, harum se
suffragia ulla emendicaturum esse, & in hanc sententiam multis u-
trinque dictis à me ipsum dimisi. Deinde cum essent causæ, cur au-
diendus saltem esse judicaretur, in Consessu Ministerii (*) exposuit

A 3

suum

(*) Optandum verò esset, ut ea omnia, qvæ cum ipso in Conventu gesta fuere, calamo
fuiscent excepta, qvæ eo accuratior omnium rerum haberi posset notitia. Inve-
niens.

suū negocium, & finita cōmemoratione tota, responsum ipsi est, nos causam ejus minime probare, quā suscepisset pro adeo universali hominū prædestinatione ad salutem asserenda, ut sive in Ecclesia sive extra eam illi sint, sive verbū Dei habeant, sive non habeant, nihilo minus in numero ad salutem à Deo prædestinatōrum, eos sine discrimine habeat, ita ut nec Judam quidem inter eos computandum esse, neget, Eam enim quæstionem ei proposui. Nec convenire illud cum Scriptura, quod inter ἐκλεκτούς & ἐκλελευμένους frivolè distinguat, & complura alia. Et disertè addidimus, lege vetusta nostrarum vicinarum Ecceſiarum, nobis non esse integrum, seorsim ipsi de quæſtione propositâ quidquam respondere. Itaque de re hâc nos cum vicinis ministeriis velle, data occasione, communicare, ut communī consensu, quid agendum vel vitandum nobis sit in hac re, statuantur. Et simul fuit, cur existimaremus, ad Reverendos viros Theologos Rostochienses eum ablegandum esse, quod etſi ægrè initio,

tan-

niantur quidem nonnulla T. I. Actor. Ministerii p. 398. sed illa tum manca ac mutila sunt, tum malè admodum scripta, ut vix legi ac describi commode possint. Dabo tamen hīc quædam, hanc in modum fluentia: *Audivimus Reuedum & clarissimum Virum, D. D. Samuelem Huberum, exponentem nobis originem & progressum controversiaſna, cum Dominis Collegis suis Wittenbergensibus, suamq̄e sententiam de universali Electione omnium hominum propter Christum, ad vitam & salutem aeternam, ejusque sententia funda- menta explicantem, & denique iudicium de illā nostrum ac simul consilium petentem, quo pacto sanari vulnera distractionis inter collegas, & pia concordia & tranquillitas Ecclesie, salvā Evangelii veritate, restitui posset, quam ipse etiam ex animo optare, atque Vocem Ecclesie libenter audire, & si quid correctione dignum wideretur, admittere vellet; quam ob causam etiam has Saxonicas adiisset. Instituta vero placida & fraterna collatione, cum ex Scriptura sacra, tum ex Libro Concordie & Articulis Saxoniciſ, plenius & dilucidius sententiam ejus cognovimus, & vicissim nostram illi exposuimus, ut q̄dā in parte consensus, qua dissensus esset, rectius intelligeretur. Sicut ergo nullagravior deliberatio est, q̄dā de DEi erganos misericorde voluntate, qua eligimur & acceptamur in Christo ad vitam aeternam, & hanc inveſtigare ratio ac sapientia humana nequaquam potest, absque patetfactione Verbi, per Prophetas, Christum & Apostolos, traditi, ita conjungimus vota nostra, cum ardentissima filii DEi, in agone suo, paulò ante mortem, precatioне pro Ecclesia, sibi ab aeterno Patre data, ut ipſe sanctificet nos in veritate, sermo ipſius est Veritas, faciatque, ut simus unum in ipso. Defectum tamen omni ex parte ac ſufficientiſſime compensabit pia illa & loculenta Censura, q̄z à Reverendo Ministerio Lubecensi est facta, atque in alterā Claffe comparebit,*

tandem tamē sibi persuaderi passus est, & iter illud suscepit, & responsum sub sigillo Facultatis Theologiæ ab iis est consecutus: Quod, ad nos reversus, mihi & uni collegarum, exhibuit, & legimus. Ministerii enim convocationem censui non necessariam esse denuo fieri, ob causas serias. Cum mecum igitur domi meæ de re tota verba facere cœpisset, de Rostochiensi responso, dedita opera, nihil dixi, sed consilium ipsi dedi, ut scriptum illud, commoda occasione oblata, Theologis Wittenbergensibus quam primum offerri curaret, & quia id agi cernerem, ut ad dirimendam totam hanc controvèrsiam, inter partes aditus & via pararetur, me sedulò eum cohortari, ne quidquam recusaret facere, quod ad restituendam concordiam, ei faciendum esse, statueretur, nec esset pertinax. Et post redactas ad concordiam partes, id inveniret consilium, ut alicubi in Academia locum rursus nanciseretur. Non enim mihi consultum videri, eum extra Academiam ministerium Ecclesiasticum querere. Causa consilii hujus fuit, qvod omnino mihi visus est, novas facilè contentiones denuo moturus, si non habeat, quos metuat observatores, ut taceam cætera, quæ mihi animus, ex certis indiciis, de eo adhuc hodie præfagit? Nihil cum eo amplius, Rostochio reverso, collocutus sum: nec quid de Rostochiensium scripto censerem, vel verbulo ostendi: partim quod mihi censoris partes vindicare nolle, partim quod inter utriusque Academiac Theologos rem brevius & rectius sine acerbitate & magno strepitu, per literas mutuas, sicubi forsitan sit, quod declaratione aliqua pleniore adhuc indigere putetur, expediri posse putarem: Et ita à nobis discessit. Ubi à nobis abiit, post aliquot dies, Rostochio ad me perscribebatur, eum ex urbe nostra Rostochiensibus per literas significasse, nos scriptū eorum per omnia comprobasse, quod finxit ex se. Itaq; ut ejus certior factus sum, respondi quod jam R. D. T. retuli. Intelligo igitur ipsum malitiosè, & conscientia omni planè protrita, in id incumbere, ut apud Ecclesias conjunctas, nostrum ministerium in suspicionem præjudicii alicujus adducat, aut persuadeat cuiquam, nos cum ejus dogmate facere, quod toto pectore aversamur & damnamus, ut quod non congruat cum verbo DEI, & cum usitata nostrarum Ecclesiarum doctrina omnium temporum, & formula concordiae.

Non

Non igitur mihi dubium est, ipsum R. D. T. quoque illud ipsum de nobis affirmasse, & persuadere conatum esse. Ut igitur à tali suspitione & ipsius traductione falsa, nos purgemus, & famam innocentiae tueamur, omnino faciendum mihi censui, R. D. T. hac de re verum exponere, ne existimetis, nos præjudicium ullum vobis fecisse, & liberam vobis censuram de hoc negocio Huberiano præripere voluisse, contra morem veterem in Ecclesiis hisce nostris semper usitatum. Igitur hoc Huberianum, impudens & audax, figmentum vobis retegere, necesse habui. Cæterum quid R. D. T. censeat, facto opus nobis esse, in hoc negocio ejus nobis proposito, amanter peto, illud mihi ab ea fraterne significari: Quod ad me attinet, facile in eam sententiam iverim, ut causa tota commendaretur Theologis Academiarum Wittenbergenfis & Rostochiensis, quæ sine longis concertationibus & disputationibus placide & fraternè per literas invicem, minore cum molestiâ, & via brevissima, litem obortam dirimere possunt, ne contentionibus hisce periculosis plures Ecclesiæ implicantur. Sin verò ab iis Theologis, pari consensu, aliquid ab hisce nostris ministeriis requireretur, tum satis maturè, de sententiâ nostra iis aperienda, inter nos consultatio suscipi posset. Et ita credo, nullam in nostris Ecclesiis pertimescendam nobis esse turbationem, nec quenquam incusare nos posse, ut qui, citra necessitatem, nos ingesserimus negotiis, non admodum ad nos attinentibus, & litium causas quæsiverimus. Hoc amice, fraternè & bono consilio R. D. T. de me aperio. Nihil autem præscribo. Non igitur molestum mihi erit consilium vestrum audire. Itaque, ut illud mihi fraterne indicetis, etiam atque etiam R. D. T. rogatam velim. Bene in Christo valeat R. D. T. & pro me DEum orate, propter indies omnes vires corporis & animi me deficientes, & Reverendos Dominos Pastores cum Fratribus meo nomine officiosè salutari cùpio, Lubeca die 25. Maji. Anno postremi seculi 1595.

R. D. T.

obſervantissimus

M. ANDREAS POUCHENIUS.

Rever-

Reverendo & Clarissimo Viro D. M. Caspero Gödemanno, Doctrina, fidei
 & veritatis cœlestis assertione ac Zelo præstantissimo, Ecclesiae Lünæburgensis
 Superintendenti vigilantissimo, Domino, amico, & fratri sibi in
 Christo cumprimis Charissimo.

Hasce sequenti Responso dignati sunt Venerabiles Lünæburgensium
 Ecclesiarum Doctores.

S. per Christum, Reverende, doctissime, & clarissime Domine
 Superintendens, Amice & frater in Christo colende, Redditæ
 nobis sunt literæ tuæ, piæ humanitatis plenissimæ, in quibus Lippi-
 tudinis oculorum tuorum mentionem facis, quid in negotio Huber-
 iano apud nos actum sit, ac quid nos de eo sentiamus, cognoscere
 cupis. Pro antiqua igitur, non tantum, quæ cum duabus vicinis
 maritimis urbibus nobis intercedit necessitudine, ac conjunctio-
 ne, sed amicitia etiam nostra antiqua, ac singulari, R. D. T. celare
 non possumus, nec debemus, Lippitudinem nos oculorum tuorum
 ex corde dolere, optareque ex animo, ut DEUS Ter Optimus Ma-
 ximus pristinæ te quam primum valetudini restituat, Ecclesiæque suæ
 florentem & in columem conservet, quod unicè etiam precibus no-
 stris efflagitatueros promittimus. Huberum quod attinet, venit is
 quidem in itinere, quo vos, & Hamburgenses fratres, invisere, ac
 salutare decreverat, ad nos quoque, negocium suum nobis expo-
 suit, ac, quid de eō sentiremus, audire voluit; Verum ubi quædam
 ipsi, ex publicis aliorum scriptis, objiceremus, agnoscere illa noluit,
 & nil nisi meras calumnias esse affirmavit. Nos autem, quod res
 est, antiquorum tandem Recessuum vigore, pro pia ac laudabili ha-
 rum trium urbium consensione, integrum nobis non esse, ut Supe-
 rioribus nostris, omni observantia colendis, præcoci quadam censu-
 ra præjudicaremus: Si verò ipsi, more consveto ac recepto, con-
 ventum hujus negotii causa indicturi essent, judicium ipsorum li-
 benter audituros, nostroqve deinde loco atqve ordine toto nego-
 tio probè cognito, altera etiam (si opus foret) parte audita, quod ex
 re Ecclesiæ, ad conservationem veritatis in doctrina cœlesti utile,
 ac necessarium judicaretur, pro virili (Deo volente ac juvante) fa-
 cturos, respondimus. Postquam verò, itinere isto confecto, ad nos
 reversus fuit, porrò, quid in eo sibi accidisset, narravit, Rostochien-
 sum quoque Theologorum scriptum cum confessione sua Ursellis

excusa, & aliis quibusdam, communicavit quidem, vos autem quicam
 qvam approbasse non dixit, nisi qvod cum vicinis Ministeriis (qvod
 R. D. T. etiam scribit) qvam primum Te collaturum affirmavit. Hic
 enim propemodum illorum, de qvibus relationem apud nos instituit,
 qvantum recordari possumus, scopus est, ac summa tota. Cumque à
 nobis scire cupias, qvæ nostra sit de hoc negotio sententia, bona hoc
 fide fatemur, non parvi eqvidem, sed maximi potius momenti esse,
 gloriam nimicum DEi, atqve animarum nostrarum salutem concer-
 nens, qvod hanc secum conditionem afferat, ut nisi recte curetur,
 atqve amicè qvam primum componatur, Turbas (qvod absit) opinio-
 ne maiores apud Doctrinæ & confessionis nostræ socios daturum,
 Pontificiis confessiones nostras diabolicè cavillandi, & Calvinianis
 de nobis triumphandi, occasionem præbiturum sit, qui majorem po-
 liticorum partem ad deficiendum à nobis summo conatu mirisqve
 artibus incitabunt. Magna igitur diligentia, mora omni seposita, in
 id incumbendum, ut pia qvædam, Verbo DEi congruens, reconciliatio
 inter partes dissidentes fiat, & honesta compositio instituatur,
 ne res in nervum exeat, nimium altercando veritas amittatur, invi-
 cemque mordendo consumamur. Qvâ autem ratione, viâ, aut mo-
 do, hoc tentandum R. D. T. & aliis, plus hic videntibus, ac longius
 qvam nosprosipientibus, qvicqvam præscribere, opus non est, sed
 in eo jam acquiescimus, qvod tibi videtur causam totam Theologis
 Academiarum Wittebergensis & Rostochiensis commendandam, qvæ
 sine longis concertationibus & disputationibus, placide & fraternè
 per literas invicem, minore cum molestiâ, & viâ levissima, litem ob-
 ortam dirimere possint, ne contentionibus hisce periculis plures
 Ecclesiæ implicantur; nisi qvod Rostochienses Theologi rogandi vi-
 derentur, atqve invitandi, ut ipsi hanc in se provinciam recipiant,
 atqve hoc reconciliationis ac compositionis negotium ordiantur,
 non rogati enim fortassis non facient qvicqvā, vel saltem tanta animi
 confidentia vix facient. Qvis igitur ipsos ad id sollicitare, & qvomodo
 facere beat, à R. D. T. edoceri, ac si vel conventus aliquis hujus rei
 gratia necessarius videbitur, qvamprimum indici, negotiumqve hoc
 nullo modo seponi, aut rejici, amicè ac fraternè petimus. Deus
 pacis & charitatis nobiscum esse, totum negotium ad nominis sui
 gloriam, Ecclesiæ utilitatem, & multorum salutem clementer dirigere
 ac

ac R. D. T. cum toto vestro Reverendo Ministerio, quam diutissimè salvam & in columem conservare dignetur. Lüneb. 6. die Junii An. 95.

R. D. T. Studiosissimi

SUPERINTENDENS, PASTORES & totum MINISTERIUM.

*Reverendo, Doctissimo & Clarissimo Viro, Pietate, Virtute, Fide &
Constantiae Zelo præstantissimo, D. M. Andreae Pouchenio, Lubecensis Ecclesie
sæ Superintendenti Vigilantissimo, Domino Amico & Fratris
in Christo observando.*

Idem Epistolium, quod ad Lüneburgenses ab Ordine Sacro Lubecensi erat directum, ad Reverendos Sacrorum Antistites, quos Hamburgum tunc temporis habuit, fuit transmissum, hinc M. Gregorius Stammichius, qui in Ecclesiâ Brunoviensi meritissimi nostri Pouchenij Collega fuit, ac primus R. Ministerii Hamburgensis Senior A. 1593. constituebatur, (de quo vid. Relationum Curiosarum, quæ Hamburgi nunc publicantur, Tom. I. p. 649. sq.) seqvens, quod ad legendum jam exhibetur, Responsum dedit.

Sin Domino JESU Christo, Reverende & Clarissime Dn. Andrea, Amice vetus & colende: In valetudinem T. R. D. ex literarum tuarum exordio cum dolore legi. Ut verò pro me Septuagenario Dominum DEum Patrem precatus es, ita suspiriis multis eundem oramus, ut suæ Ecclesiæ Te pristinæ sanitati restituas, & quoque Libetis tuis. Propter Domini DEi nostri paternam castigationem ad consuetos meos labores hactenus redire non potui. Memoria enim mea subitanea cruce læsa officium suum ægerrimè facit. Deinde etiam dextrum latus officium suum non equidem planè denegat, attamen illud ægerrimè facit propter ingentem stuporem, quo ita debilitatum est, ut difficulter incedere queam. Rogo igitur, per brevem hanc Respcionem æqui ac boni consulas. Legi Epistolam hanc, propterea convocabam hodiè Dominos Pastores, quibus literas perlegendas exhibebam. His perfectis unanimi consensu rogitarunt, ut R. T. D. responderem nomine nostri Ministerii. Initio igitur R. T. D. unanimiter gratias perquam maximas agimus pro communi cato bono atque nervoso responso D. Hubero dato. Id ipsum nobis valde placere, non est quod dubites. Deinde coram ipsi in faciem nomine nostri Ministerii idem dicebam, nostras Ecclesias

nolle novas contentiones movere contra Rostochienses &c. tertio nostras Ecclesias suam sententiam nullo modo unquam probaturas. Quam malitiosè posteà de me locutus sit apud nos, narrarunt plerique ex nostris falsis fratribus aliis, non autem mihi. Hæc in faciem homini dicebam. Sequenti die obtulit Senatui Supplicationem, in quâ inter cætera operam nostræ Ecclesiæ offerebat. Inclytus Senatus noster misso aureo nummo - - - eum rursus allegavit, (ita enim ob literas malè pictas legendum esse censeo) seque statim contulit ad Vos , præsertim cum audiret, nos nullo modo approbare impium suum dogma, sed damnare cum aliis maritimis Ecclesiis. Omnipotenter nobiscum statuimus, totam Controversiam Wittbergensibus & Rostochiensibus esse commendandam , propter hanc causam, ne , ut T. R. D. scribit, hisce periculosis Contentiis & nostræ Ecclesiæ implicentur. Vestrum igitur Consilium planè & nostrum est. Si nostrarum Ecclesiarum sententiam petierint, hæc fortè illis dari poterit. Judicamus autem nondum id esse opus. Ascribo salutem R. vestro Ministerio, T. R. D. uxori & meis affinibus. T. R. D. obtestor, ut scriptiōnem hanc æquiboniique consulat. Memoria & oculi difficulter suum officium faciunt. Benè in Christo valete, proqve me orate. 30. Maji An. 95.

R. D. T. Observantissimus.

GREGORIUS STAMMICHUS.

Reverendo & Clarissimo Viro, præclarâ doctrina, fide, virtute, & pietatis Zelo præstantissimo D. M. Andreæ Pouchenio, Superintendenti Ecclesiæ Lubecensis vigilantissimo, Dn. Fratri & Amico in Christo sibi longe charissimo.

Eò autem res devenit cum Sam. Habero, ut scriptis quoq; errorem suum palliare, coloremque ei illinere, aliosque seducere haud erubuerit, quapropter literas valde prolixas ad Reverendum Ministerium Lünæburgense exaravit, quarum copia dum nostro Collegio fuit facta, haud abs re me facturum esse credo, si illas pariter huc attulero.

Salutem & pacem à Christo JESU Domino nostro.

Credere non potes , Reverende & Clarissime Domine Superintendens, frater in Christo honorande, quantopere furat spiritus ille, qui omni arte & vi obtrudere vult Occidenti Calvinismum, id est, πρόδρομον ad abnegationem Evangelii JESU Christi. Tübingam

bingam veni cum libellis meis nuper excusis ad Theologos, & petii,
 ut errores mihi recenserent, de quibus sim accusatus ab illis, com-
 memorans ingenuitatem ministerii Brunsvicensis, quod candore
 liberali & Theologico hac in peregrinatione mea præstitterent.
 Deinde petebam, ut causas redderent, cur meam doctrinam suo præ-
 cocijudicio, quod miserant Wittebergam, damnarint. Tertiò, ad-
 esse me, ut demonstrem, Hunnianos errores indignos esse ipsorum
 patrocinio. Hæc oretenus primò, deinde scripto proposui : illi
 cum Theologis Stutgardianis deliberandum esse ajebant : Postea
 scripto responderunt, in quo universalem Electionem, & quædam
 alia approbarunt contraria sententiæ Hunnianæ : Interea autem
 Hunnium defendebant, & de Calvinismo purgabant, atque censuram
 in meos jam postremò editos libellos proferebant : nihil autem
 responderunt ad tria illa *κατηγορίες* capita. Ego adducebar in
 spem de facili aliqua transactione ; præsertim cum mecum in priva-
 tis Colloquiis svaviter & blandè colloquerentur, uno autem collo-
 quio fuimus una congregati, quod per diem duravit, ibi liberaliter
 semper ab ipsis concessa Universali electione, facta per Christum
 in omnes homines, & sine *καταχρήσιμη* sumenda, disceptatum est con-
 tra me, quod statuam electionem sine omni ordinatione ad fidem :
 id verò facile ex omnibus meis scriptis confutari poterat. Postea de
 particulari Electione disputatum est, quam utrinque quidem con-
 cessimus, sed non eadem definitione. Ego particularem hanc con-
 cessi, quæ consideratur in applicatione, aut respectu tantum homi-
 num credentium, qua nimirum hi, qui credunt, soli fruuntur bene-
 ficio Electionis : reliquias sua incredulitate sese eo expoliantibus.
 Illi vero censuerunt, juxta universalem Electionem ex Deo, quoque
 statuendum esse particularem, & dicendum, quod Deus paucos tan-
 tum homines in Christo elegerit ad vitam, tametsi concedendū sit,
 quod doctrina hæc in suggestu nullo cum fructu proponi possit, nec
 etiā proponi debeat. Hic ego particularem eorum maxime suspectam
 habui, plane colludentem eodem foco cum doctrina Calvinistarum,
 & tollentem fundamentum atq; certitudinem Electionis universalis :
 negavi deniq; constanter, in ullam me consensurum doctrinam vel
 Evangelium, quod publicam non ferat lucem, & quod cum publico

fructu proponi non possit. Itaque in colloquio illo nihil aliud esse-
 etum erat, nisi quod universalem mecum approbarent Electionem,
 ex omnibus illis fundamentis, quae sunt de Redemptione, Reconcili-
 atione, Vocatione & Voluntate Dei: Arbitrabar autem, eos in cæ-
 teris quoque accessuros. Secundo die à colloquio affero D. Ger-
 lachio, Decano Facultatis, consignata fundamenta nostri consensus
 de universali Electione & quæro, num in iis aliquid desideret, si ni-
 hil desideretur, commode fieri progressum, si illa utrinque confir-
 mentur, quæ inter nos transacta sunt. Dicebat, se relaturum ad
 Collegium, postridie mittunt Theologi schedulam, qua significant,
 non se facturos progressus aliquos, nisi prius scripserint ad Princi-
 pem Illustrissimum, eo die, quo Schedulam hanc mittunt, postea
 cognovi, decretum Principis, (de quo postea dicetur) factum esse,
 adeo, ut jam etiam ante colloquium videantur scripsisse ad Celsitu-
 dinem ejus. Gerlachius autem me, spe benè delibutum, & signi-
 ficatione animi benevoli erga me, dimittit. Paulo post adest de-
 cretum. Audivisse Principem ex literis Theologorum suorum,
 quod Huberus erroneous & blasphemas disseminet doctrinas, schi-
 fma moliatur in Academia, mandare itaque, ut illicò jubeatur finibus
 Ducatus sui excedere. Ea de re conquestus sum literis ad Theolo-
 gos, & petii, ut has mihi, cum nondum hactenus fecisset, recense-
 rent, & ostenderent doctrinas blasphemias, petere, ut judices con-
 stuantur: Nisi demonstrare queam, quod damnarint, doctrinam
 Ecclesiarum nostrarum literis missis Wittebergam, quibus totam
 concusserunt Saxoniam, quam nunc iterum approbare cogantur,
 capitali judicio sisti me velle: similiter, si unam aliquam doctri-
 nam impiam aut blasphemam demonstrare possint in scriptis aut
 dictis meis, publica me recantatione & pœna satisfacturum: simi-
 liter etiam, si D. Hunnium de aliquo accusarim dogmate, quod in
 editis libris suis demonstrare non possim. Petere itaque me per tri-
 bunal Christi, ut efficiant, priusquam discedam, ut constuantur
 judices, qui nos audiant. Nihil autem responsi accepi: quapropter
 cum edicto Magistratus parendum esset, agro Wirtembergico egres-
 sus sum. Jam variè adversus me tumultuantur, vocales facti, qui prius,
 me præsente, muti erant. Nec non persecutionem in eos insti-
 tuunt, qui levitatem, inconstantiam, & δύσφημα ipsorum dogma-
 ta

ta non approbant, & constanter permanent in doctrina, quæ ante
 hac in Ecclesiis Lutheranis & Orthodoxis personuit. Trahuntur itaq;
 in periculum exilii Professores maximæ authoritatis. Bebenhusii
 proxime conventus est habitus, eo evocatis quibusdam Professori-
 bus, quid actum sit, mihi non constat. Unum autem scio, Recto-
 rem Scholæ trivialis, M. Eusebium Stellerum, bis fuisse vocatum
 Stutgardiam, & primo quidem cum se constantem præberet, dimis-
 sum fuisse sub comminatione exauthorationis: Deinde post men-
 sem denuò esse vocatum eò, atque cum à confessione depellere eum
 non possent, quanquam ab officio eum rejecissent, tandem, cum in-
 tenderent pœnam, ejiciendum quoque esse Ducatu, in suam Virum
 illum pertraxerunt nassam, in qua, ut audio, jam miserabiliter fudat.
 Vides itaque, Reverende Domine Superintendentis, quid spiraverit
 per Theologos istos Spiritus malus, cum adversus me telum suum
 jacularentur Wittebergam: constat etiam, in me persecutionem le-
 vi & facili cum principio initium sumpsisse, desitiram autem non
 nisi tragicè. Certe enim Spiritus hic sanguinem spirat, nihil alienum
 habens à Calvinismo. Wirtembergici gravi concutientur
 motu, cum mihi satis constet, Viros ibi esse fortitudine Dei indu-
 tos, qui ad catastrophen religionis, quæ impendet, non facile sint
 assensuri. Deus autem à vobis omnibus requirit, ne ad istam cla-
 dem, incubituram cervici posteriorum nostrorum, indormiatis, sed
 tandem vos ipsos quoque in medium proferatis & veritati testimo-
 nium detis, & glorificetis nomen Salvatoris nostri, contra horren-
 dum hunc nimbum, qui, nisi fortiter obnitamur, totum per univer-
 sum Occidentem sternet Evangelium: neque graviori impetu Sa-
 tan expeditionem hanc moliri unquam potuisset, quam cum Viros
 Theologos, qui hactenus Calvinismum oppugnarunt, in aciem pro
 Calvinismo tuendo jam producit; ubi lethargicus noster populus
 sciens & prudens sese dementare & occœcare sinit, clam-
 tans, Hunnum Virum esse doctum, & prælia gessisse contra Calvi-
 nistas; Ergo non posse ulla Diaboli arte circumveniri, ut Calvi-
 nismum Ecclesiæ intrudat: supini itaque & oscitantes nostri jacent
 homines, ut nec scripta Hunni legant & perpendant, nec etiam
 auscultent, quæ proponantur argumenta, demonstrantia ingens
 periculum, quod præsto est. Sed si occidens perire debeat, ut tali
 ere.

crēpēt principio, nēcessē est: Væ autem natibus nostris in die iudicii, qui dies ventris nostri anteponimus diei glorificationis. Jam tandem tempus erit, Domini mei Reverendi, ut cum audiveritis me, vestram implorantem opem & consilium, in lucem prodeatis: si meam doctrinam existimatis impiam, accurrite D. Hunnio & Sympatriotis suis in Ducatu Wirtembergico: Sin vero jam tandem satis intellexistis novam hanc, R. Hunnii doctrina, Calvinismi prouviem, quæ in universam, nisi obſtitatur, exundabit Ecclesiam, vendicate gloriam Christi, munite castra Ecclesiæ contra lupos istos, monete Ecclesias & posteros, nec finatis unum Huberum præliari hoc prælium Domini. Christus inquit: *Qui mecum non congregat, is disgregat.* Novimus insuper, sanguinem eorum, qui pereunt, ex manibus nostris repetendum esse, si eos non admoneamus de periculo. Velim, Reverende Domine Superintendens, has literas Hamburgensibus & Lubecensibus communicari, ut communi tandem consilio aliquid pro Ecclesiæ oðvraſ deliberent, & in medium consulant. Deus aspicit vultus vestros, cum hæc à vobis petuntur, visurus, an quietem semper in contritione Josephi habere possitis, & mei certè libelli, quos vobis transmisi, inexcusabiles vos reddent. Postquam agro Wirtembergico egressus sum, veni Durlachium, impetrato hyberno hospitio ab Illustrissimo Marchione Badensi: & exspecto divinam voluntatem in me servulum suum, perlaturum ad tribunal suum constantem veritatis confessionem, per gratiam Spiritus Sancti, & novi majorem mihi repositam esse mercedem, quam ab ingrato mundo accipiam. Dominus Jesus conservet & corroboret te, omnesque collegas tuos Spiritu Sancto: Vestris cupio adjuvari precibus ad Deum, ut me contra astutias & insidias Diaboli clementer protegat. Vale in Christo, Reverende Vir & Frater in Christo.

Durlachii An. 95. 15. Octobris,

R. T. D.

Studioſiſſimus & addictiſſimus in Christo
SAMUEL HUBERUS, D.

Reverendo & prætantissimo pietate, Constantia, & Zelo Domino M.
Caspari Gudemanno, Superintendenti Luneburgensi, Domino, & fratri
suo in Christo, plurimum colendo,
Illos

Illas autem cum nostro Presbyterio communicavit Venerabilis Luneburgensium Ecclesiarum Præsul, hoc superaddito Epistolio.
S. per Christum, cum felici novi hujus Anni auspicio, progressu lætiore, ac fine lætissimo, Reverende, Doctissime, & Clarissime Domine Superintendens, Amice & Frater observande, R. D. T. in usum Ministerii vestri mittimus Copiam literarum Samuelis Huberi, Theologiæ Doctoris, quas ante dies aliquot ab eo accepimus, bona fide descriptam. Mittimus autem illam non ideo, quod à quoquam ipsi patrocinari, vel aliis diversum ab eo sentientibus præjudicari cupiamus: Sed hisce tantum de causis facimus, quod ipse hoc à nobis petiit, & nos Ecclesiæ vicem miseram ex corde dolemus, veritati cœlesti omni modo testimonium perhibendum existimantes, ne omnis generis, Calvinistarum præsertim, corruptelas tam liberè vagari permittamus, sed ipsas magis, quanto fieri potest studio ac Zelo, oppugnare conemur. Qui enim pro virili illis non resistit, is profectò approbat, & qui veritatem non defendit, re ipsa opprimit, ut Christus inquit: Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Quia autem hoc potissimum ratione, ac quo modo fieri possit, aut debeat, cum communium deliberationum gratia conventus nulli amplius habeantur, vobis, Majoribus nostris, omni observantia colendis, cogitandum relinquimus. Æternus Pater Domini & Servatoris nostri JESU CHRISTI Ecclesiæ suæ misereatur, vulnera nostra sanet, in veritate sua nos sanctificet, piam pacem largiri, Reverendamque D. T. cum toto Venerando Ministerio vestro, Fratribus nostris carissimis, quam diutissimè florentem & incolumem conservare dignetur. Luneburgi XX. die Januarii Anno 96.

R. D. T.

Studiosiss.

SUPERINTENDENS, PASTORES &
TOTUM MINISTERIUM.

Reverendo, Doctissimo & Clarissimo Viro, pietate, Virtute & Constantie Zelo præstanti, Domino M. Andreæ Pouchenio, Lübecensis Ecclesiæ Superintendenti dignissimo, Domino, Amico & Fratri suo observando.

Cum vero Controversia illa, semel agitata, nondum plane composita esset, atque Orthodoxiæ Assertores variis modis calumniis onerarentur, è re Ecclesiæ futurum censuerunt Theologi Wittebergensis,

C

ut

ut Amplissimo Imperialis Lubecæ Senatui rem totam literis aperient, Eumque rogarent, ut Theologorum suorum super hac controversia vota colligeret, universosque moneret, ut, quid ipsis videtur, libere exponerent, veritatemque cœlestem pro virili sua asserent ac tuerentur. Meretur vero *Scriptum* istud *Epistolicum* hic legi, quo de gravissimorum Theologorum Zelo, prudentia eruditaque pietate conjuncto, eo melius singulis constare queat.

Gottes Gnade durch Christum/ neben Entbietung unserer willigen
Dienste zuvor /

Edle / Ehrenveste / Hochgelahrte / Achtbare / Hoch- und Wohlweise /
insonders günstige Herren / und Freunde in Christo.

Melcher' gestalt D. Samuel Huber in seinen spargirten Schmäh-Schriften (seinem eigenen Gewissen/ ja der Reichskundigen Wissenschaft zu wieder) uns allenthalben diffamire und austrage/ als solten wir/ der Theologischen Facultät Professores allhier/ in dem hohen Artikel von der ewigen Gnaden-Wahl und Verordnung zur Seeligkeit / uns zu der gottlosen Lehre der Calvinisten begeben haben/ mit untergemengten unmenschlichen Äußerungen/ damit er unsere Personen und bis dahер geführte reine Christliche Lehr und Bekänftiß/ bey männlich hohes und nieders Standes Personen verhaft und Calvinischer Impietet verdächtig zu machen sich bemühet: Das ist E. E. Herrlichkeit und Gunsten ohne Zweifel ganz wol bewußt/ und fürnehmlich daher unverborgen/ weil er etliche solcher unreinen Schriften/ beneben andern Evangelischen unserer Religions-Verwandten hohen Ständen/ zugleich auch den Erbaren Frey- und Reichs-Städten im öffnen Druck dedicaret/ auch hin und wieder Exemplarien umbher geschickt hat. Ob nun wol wir in unsern Herzen dessen versichert sind/ daß er die geflagte Puncten in ewigkeit weder auff einem Synodo, noch freyem offenen Colloquio (darzu wir uns denn unsers Theils solenniter erbieten thun) noch auch sonst/ wie recht/ über uns ausführen kan/ und dorwegen wir einen solchen Diffamanter/ welcher/ wie Landkündig/ mehr seines Verleumdens/ Lügens und Lästerns halber/ als von wegen seiner irrigen Lehr/ aus dem Hochlöblichen Churfürsten-thum Sachsen verweiset ist/ einiger Antwort nicht wehrt achten: Dennoch aber und dieweil er uns vor dem ganzen Römischen Reich solcher-massen diffamiret/ und mit überhäufsten/ zwar unerfindlichen/ doch aber nicht jedem bekannten calumnien, die ohne das nach dem Sprichwort Calumniare audacter, semper aliquid hæret, in den Gemütern unberichteter Leute bezangen

hangen pflegen/ verschreyt macht. So haben wir in beygefügter Schrift un-
ser Klares Bekantniß vor der ganzen Christenheit gethan/ und beyde die Cal-
vinische Greuel und Gotteslästerung/ so wol den Huberischen Schwarm/
deutlich verworffen/ darneben unsere in Gottes Wort/ und dem Christlichen
Concordien-Buch wollegründte Lehr mit unfehlbahren Zeugnissen des Hei-
ligen Geistes/ als Pfeilern der Wahrheit/ ohne ungebührlichen Ruhm zu mel-
den/ also befestiget/ daß auch der Höllen-Pforten nichts dagegen erhalten kön-
nen. Wie wir dann unserer Lehre noch ferner Rechenschafft jedermänniglich
so schriftlich/ und wieder D. Hubern auch mündlich und in der Person zu
geben/ und unsere Sachen wieder Ichn durch Gottes Gnad auch inskünftig
auszuführen entschlossen sind. Und dieweil D. Huber in seiner vermeinten
Rettung-Schrift seine Klage/ wie allen und jeden Evangelischen Ständen
des h. Römischen Reichs/ also auch allen loblichen Frey- und Reichs-Städ-
ten angebracht/ so ist für nöhtig geachtet worden/ zu Rettung unseres guten
Mahmens/ vielmehr aber der reinen Christlichen Lehre/ in einem so hohen und
vornehmen Artickel/ unsere Antwort oder Bekantniß gleicher Gestalt den Hoch-
und Wolermeldeten Ständen öffentlich zu dediciren/ und in Druck zuzu-
schreiben/ und insonderheit E. E. H. und Gst. ditz gebunden Exemplar zu
präsentiren/ dienstlich und Christlich bittende/ dieselbe wolten aus Verlesung
unsers beygefügten Bekantniß/ ob dem also seyn/ wie Huber schreyet/ in wahrer
Gottesfurcht erwegen/ auch unbeschwert die Verschaffung thun/ damit es von
einem Ehrwürdigen Ministerio bey Euch in ihrem Conventu abgelesen/
censirt und E. E. Herrlichkeit und Gunsten/ von demselben bey ihren Christli-
chen Gewissen warhaftiger Bericht hinterbracht werde/ wie sie die Sach be-
finden/ ob wir dem Calvinismo im allergeringsten zugethan/ und ob solches mit
rechten Bestandt aus unserer Lehre geschlossen werden könne/wollen wir gänzlich
verhoffen/ es werden E. E. H. und Gst. sowol dero Prediger und Diener am
Worte Gottes/ nach fleißiger Erwegung unseres Christlichen Bekantniß/ uns
nicht allein in solchem Verdacht nicht haben/ sondern vielmehr sich Christlich
erfreuen/ daß in diesem hochloblichen Churfürstenthumb/ wieder alle Rotten und
Secten/ die gesunde Lehr des allein seilmachenden Göttlichen Worts erhal-
ten und fortgepflanzt wird. Der Allmächtige Gott wolle Eure lobliche
Stadt/ beydes in der Kirchen und Policey/ väterlich segnen/ bey allem Guten er-
halten/ und für allem Ubel behüten und bewahren. Demselben thun wir E.
E. H. und Gst. hiemit zu väterlichem Schutz und aller seiligen Wol-
fahrt

Fahrt Leibes und der Seelen treulich empfehlen. Datum Wittenberg / den
9. Octobris, Anno 1597.

E. Ehren. Herrlichkeit und Kunst.

Dienstwillige

DECANUS, SENIOR, und PROFESSORES der
Theologischen Facultät daselbst.

Denen Edlen/ Ehrenvesten/ Hochgelahrten/ Achtbahren/ Hoch- und
Wolwesen Herrn Bürgermeister und Rathmannen der altlöblichen
Reiserlichen freyen Reichs - Stadt Lübeck: Unsern insonders
günstigen Herren und guten Freunden.

Nostros denique cum *Hamburgensibus* per literas ulterius fuisse
collocutos, ex *Responso* illo, quod jam subiectere placet, cognosci pot-
est. Dolendum vero est, literas quasdam amœbæas hodie in scriniis
nostris non reperiri, atq; proinde accuratiorem hujus Controversiæ
Historiam à nobis contexi haud posse. Quapropter ea L. B. accipiat
haud gravatim, quæ in nostris adhuc versantur manibus. Sequitur er-
go *Epistola Theologorum Hamburgensium ad nostrum Ministerium perscripta:*
Salutem in Christo, Salvatore nostro. Literas Vestas, Reverendi
& Clarissimi Viri, fratres in Christo honorandi, quibus nos secun-
dò ad conventum publicum in Controversia Huberiana cohorta-
mini, accepimus, consideratis etiam in vero Dei timore rationibus,
quibus vos moveri scribitis. Etsi vero non ita pridem Reveren-
dus Senior noster ad Clariss. D. Superintendentem Vestrum hac de-
re sententiam nostram perscripsit, cuius responsonis ne verbo qui-
dem in vestris literis mentionem fieri miramur: tamen cum nos
denuo monere vobis placuerit, alteris etiam vestris literis non gra-
vatim nunc quoque respondemus. Et quoniam in extremo lite-
rarum vestrarum petitis, ut vobis disertè sine mora longa in Vero
Dei timore respondeamus, nolite dubitare, quin sponte nostra sine
hujusmodi obtestatione, quod conscientiæ, & officii nostri ratio fla-
gitaret, & rerum ac temporum occasio ferret, facturi essemus. Neq;
enim adeò hebetes, leves & inconstantes sumus, ut vel Ecclesiæ cer-
tamina non intelligamus, vel nullo Ecclesiæ periculo afficiamur,
aut veram sententiam coram adversariis nostris intrepide confiteri
non audeamus. Senium, curæ, labor Seniori nostro cum vestro
Superattendente communia sunt, quos & coævos ferè esse intelli-
gimus, unde fieri non potest, ut uterque quovis momento ad quosli-
bet

bet incidentes casus & labores promptus & expeditus sit. Sic igitur se res habet. Cum post discessum suum ex Academia Wittebergensi ad maritimas Ecclesias proficiisci, earumque judicium de sententia sua in doctrina de prædestinatione sciscitari decrevisset D. Huberus, in itinere ad nos quoque venit, afferens secum ex vicinia literas, quibus nostræ Ecclesiæ non vulgariter commendabatur, ipse quoque publico suo ad Senatum scripto Ecclesiæ nostræ suam deferebat operam. Verum cum Amplissimo nostro Senatui & Ministerio aliter visum esset, non multo post à nobis recessit. Interea vero, cum hic commorabatur, adiit nonnullos ex Concionatoribus, quibuscum de sua cum D. Collegis in Academia Wittebergensi controversia conferret. Inter alios me quoque, *Bernhardum Laget*, convenit, cumque mihi de facie esset ignotus, & habitu tamen, aliisque signis, eum hominem nostri ordinis esse appareret, non potui non comiter, benigneque resalutare. Postea edito nomine, & indica-
 ta causa sui itineris, differentem eum de suo negotio placidè audi-
 vi, qva in re nihil à me peccatum esse arbitror, cumque coram no-
 bis omnibus causam suam exponendi sibi potestatem fieri peteret,
 Eniorem nostrum adeundum dixi, mensæ eum nunquam adhibui,
 nec longis sermonibus domi meæ detinui, neque alibi cum illo con-
 versatus sum, ut ejus potius metuerem offensionem, qvam humani-
 tatis meæ sperarem commendationem. Ego quoque *Johannes Schelbamerus* testor, etsi eum mensæ adhibui, me tamen in omni
 cum illo habito sermone seriò ipsum monuisse, ut Ecclesiæ par-
 ceret, nec ullo novo dogmate eam turbaret, audiendos quoque
 alios pios, graves, & eruditos Viros, qvorum sanè judicium de
 hac controversiâ non esset aspernandum, subjiciens illud Pauli-
 num: *Spiritus Prophetarum Prophetis subjiciuntur.* Qvâ in re nihil præter
 officii mei rationem me fecisse reor. Acciditeō, qvod cum Reve-
 rendus Senior noster tunc per valetudinem D. Huberum, pluribus
 Verbis negotium suum exponentem, audire non posset, nobis duo-
 bus & audiendi & respondendi, partes imposuerit. In hoc fatentur
 Colloqvio nos asperius Huberum non tractasse, præsertim cum com-
 memoratis exilii & itineris sui difficultatibus, & variis, qvas percessus
 esset, molestiis omni nobis asseveratione affirmaret, se propterea in
 hæc maritima loca concessisse, ut si qvâ in parte doctrinæ de præde-
 stina-

stitutione secus sentiret, qvam communis orthodoxa Ecclesiarum nostrarum Confessio ferret, fraternè moneri, rectius informari, in viam reduci, cum D. Collegis in gratiam redigi, & hoc modo exoptata illa pax Ecclesiæ restitui posset. Hic sanè hominem ita summisse (cor verò ejus inspicere non potuimus,) se Ecclesiarum nostrarum judicio & Confessioni subjicientem, inhumanè repellere, aut aver-sari, prorsus alienum à charitate Christianâ putavimus. Adeò deniq; commodè de prædestinatione loq;ebatur, ut qvā in parte à Formula Concordiæ, & Confessione nostrarum Ecclesiarum publica dissenti-ret, vix animadvertere liceret, nulla hic facta mentio universalis il-lius Prædestinationis etiam incredulorum & impiorum, qvod scilicet illi omnes, pari qvoq;e jure & ratione, sine ullo respectu & discrimi-ne, sive in Ecclesiâ sint, sive extra Ecclesiam, sive credant in Christum, sive non credant, sive agant pœnitentiam, sive in incredulitate, & impiâ suâ vitâ perseverent, cum fidelibus & credentibus in Christum propriè prædestinati, seu Electi, Sanctificati, justificati & ordinati ad vitam æternam, dicendi essent. Etiamsi DEus illos omnes pro uni-versa sua bonitate & misericordia pro electis habere & salvare voluis-set, si credidissent in Christum, & in hac fide ad finem vitæ usq;e per-severâssent. Hic est honos ille, qvem Hubero duo nos Pastores ex-hibuimus, qvod an nobis & Ecclesiæ nostræ probrosum esse possit, hominibus prudentibus & candidis judicandum committimus. Qvod si aliter narret Huberus in suo illo *Hodæporico*, qvod nemo nostrum vi-dit, minus candidè nobiscum agit; Qvod si sibi persuadet, nos pedi-bus ivisse in ejus sententiam, toto se Cœlo aberrare sciat. Postqvam verò à nobis discessit Huberus, & Professores Wittebergenses eum apud nos fuisse intellexissent, fortassis etiam, qvod locum Superinten-dentis apud nos qværeret, ad nos scriptum miserunt, quo totam Controversiam dilucidè & perspicuè comprehenderunt, undè & sen-tentiam illorum nostræ Confessioni & Formulae Concordiæ confor-mem esse perspeximus, & in eâ acqvieviimus. Post intervallum ali-qvod cum Calvinistarum errorem Professores Wittebergenses pro-pugnare publicè declamitaret Huberus, moti eidem ad Ornatisimum & Amplissimum nostrum Senatum literas misere, adjuncta confes-sione sua de Articulo Prædestinationis, qvibus petierunt, ut liberæ hoc scriptum Concionatorum suorum censuræ subjiceret, & singulos secun-

secundum conscientiam suam renuntiare juberet, numquid illud Calvinismum saperet. Hæc eadem scripta, & qvidem ejusdem tenoris, ad Vestram Rempublicam & Ecclesiam missa esse non dubitamus. De hac confessione judicium nostrum Wittebergensibus non ignorantum esse speramus. Hic si initio controversiæ (ut jam, Viri Reverendi, proprius ad rem veniamus) commune aliquod syngramma, à tribus hisce Ecclesiis editum fuisset, fortè Ecclesiæ non parum profuisset. Nunc vero cogitate, Reverendi fratres, postquam jam tantum temporis elapsum est, & contentio illa jam penè deferuit, an ex usu Ecclesiæ futurum sit, iterum è cineribus ignem jam penè soppitum suscitare, & obducta jam aliquo modo Ecclesiæ vulnera illa refricare. Nobis certe cum in Ecclesia tum in Republica intempestivum videtur, nunc tandem convenire, & de integro malum illud quietiori nunc, quam antea, loco positum movere, & eruere, præsertim cum tot jam scripta contra Huberum exierint. At gloriatur ille de Consensu Ecclesiarum nostrarum, aut saltem aliquorum in eis Concionatorum? Fecerunt idem & alii, unde & literæ ex celeberrimis Academiis nonnunquam ad nos missæ sunt, propterea tamen conventum publicum petendum, indicendum, & urgendum non censuimus. Quo tamen Ecclesiæ nostræ judicio nemini, scriptum aliquod privatim Huberi errori opposituro, præjudicare aut debemus aut volumus. Ad nos igitur quod attinet, Reverendi fratres, sic habetote, hoc tempore in Huberiano negotio conventum publicum, salvo vestro & aliorum judicio, minus necessarium & frugiferum esse arbitramur: tamen nos vobis animis & Confessione esse conjunctissimos, nec vel transversum unguem à veritate Verbi Divini, Formula Concordiæ, & recepta in Ecclesiis nostris Confessione, recedere. Scitote quoque, nos non minori ardore & Zelo, pro dono, unicuique à Deo concesso, (quod sine arrogantia dictum volumus) contra Pontificios, Calvinistas, Anabaptistas, & hujusmodi obstinatos hæreticos per Dei gratiam, secundum normam Verbi Divini, pugnare, quam quenquam vestrum. Quam ad vigilantiam & Zelum acrius nos excitant & extimulant vicini Jesuitæ nostri, ignoscat Deus illis, qui propter fœdum lucrum foris eos fovent, deinde Calvinistæ, Anabaptistæ &c, qui se pio nostro cœtui, ut Sathan filii Dei, immiscent. Hæc sunt, Reverendi

di

di & Clarissimi Viri, quæ, ut petitis, diserte & directe, re in timore Domini bene cogitata & deliberata, postremis vestris literis respondenda duximus, rogantes, ut omnia in bonam interpretemini partem, nec sinistri quicquam, de nostro erga vos animo, & conjunctione, suspicemini. Deus æternus Pater Domini nostri JESU Christi vos & nos omnes in veritate verbi divini clementer conservet & confirmet, & Diaboli, ac impiorum, conatus & imposturas ab Ecclesiis nostris arceat & depellat. Benè & feliciter valete Viri & fratres charissimi. Hamburgi d. 17. Febr. Ao. 1599.

Vestri in Domino

SENIOR, PASTORES, & RELIQVI ECCLESIAE
HAMBURGENSIS MINISTRI,

*Reverendis & Clarissimis Viris, Pietate, Eruditione, & Zelo veritatis
divinæ præstantibus, D. M. Andreæ Pouchenio, Superintendenti, Seniori, Pa-
storibus, & reliquis Ecclesiæ Dei Ministris, in inclita urbe Lubeca, Dominis,
Amicis, & Fratribus suis, in Christo colendis.*

Sed literarum nondum est finis. Prætermittere itaque haud possumus eximiam illam Epistolam, quam B. D. Polycarpus Lyserus, cui multum negotii facessere haud erubuit D. Sam. Huberus, ad Presbyterium pariter Lubecense direxit, hujus tenoris :

S. in Domino. Qvod olim Vir Macedo D. Paulo dixit : Adjuva nos. Idem nunc me, Reverendi, Clarissimi & Pientissimi Viri, Domini, Amici & in Christo Fratres honorandi, vobis & aliis sinceris Theologis dicere, omnino statuitur. Turbas enim in hac nostra regione Huberus denuò excitare conatur novas, easque maiores, quam quibus sedandis nos soli sufficere videamur. Hale quoque Saxonum (*) tales animorum distractiones tam inter verbi Ministros, quam

(*) Procul dubio hic respicit B. Autor ad JCtum illum, Scabinatus Hallensis Affectionem, D. Jo. Keckium, qui non solum Samuelis Huberi filium in sinu fovit, ac Liberi suis præfecit, sed etiam ipsius dogma acerrime defendit, atque ob illud postea multa mala sibi inferri passus est, de quo videantur Consil. Theol. Witteb. P. I. p. 654. sqq. Andr. Carolus in Memorabil. Eccles. Sec. XVII. C. LXVII. & LXXV. Dn. D. Polyc. Lyserus in Scripto Apologetico, God. Arnoldo opposito, p. 98. sqq. Theologos Mansfeldenses A. 1610, sub Ephoriâ D. Christoph. Schleupneri, Synodum adversus Huberianismum, à Keckio incrassatum, coegisse, refert L. Jo. Gottfriedus Nicander in Dissert. Synodali de Ecclesiâ Mansfeldianâ, ad Ephes. IV. v. II. Isleby 1674. lit. K. 2.

quam alios, concitasse dicitur, ut verendum sit, eas tam facile remo-
veri non posse, nisi severè compescatur. *Aliarum* itaque etiam Eccle-
siarum (*) Censuræ colligendæ, atque sic exteri quoque Theologi
ad laboris societatem advocandi videntur, si fortassis illorum authori-
tate homo ille in viam revocari posset. Hoc fine literas ad Inclytum
Senatum vestrum dedi, subjecto studio petens, ut suorum Theologo-
rum Judicium de hac Controversiâ secundum Scripturæ Canonem &
Libri Concordiæ Normam deposcere, illudque benignè ad me mit-
tere dignetur. Qvâ in re ut Vos vestram operam mihi, vel potius
Ecclesiæ, haud gravatim locare, & judicium datum per occasionem
commodam ad me mittere velitis, etiam atque etiam rogo. Video
enim, Hominem istum nec cedere, neque conqvescere velle, nisi
communibus Ecclesiæ Votis & suffragiis errâsse convincatur. Si
piæ memoriæ Superintendentis vester, *D. Andreas Pouchenius*, adhuc su-
perstes esset, (**) satis certo novi, qvod magno Zelo nobis suppe-
tias adversus hunc phanaticum hominem latus erat. Verum ut
idem de Vobis sperem, pietas jubet. Vobis vicissim mea studia &
officia constabunt paratissima. Benè valete in Christo JEsu, qui
sanctis vestris Laboribus benedicat. Dabantur Dresdæ, 10. Jul. A. 1604.

Vestr. Piet. Studiosiss.

POLYCARPUS LYSERUS, D.

Reverendis, pietate, doctrinâ & virtute præstantissimis Viris, Dn. Super-
intendenti, Seniori, & reliquis Ministris Ecclesiæ Christi, quæ in inclita
urbe Lubecâ colligitur, Dominis, Amicis & Iratibus in
Christo honorandis.

D

Hic

(*) Et ecce! forsan illo tempore quoque compellavit *Theologos Mansfeldenses*, qvi p-
pe qvi A. 1604. in Synodo adversus Huberum, moderante *D. Christoph. Gruner*,
instituta, dogma ejus notardnt ac refutarunt, notante eodem Nicandro l.c. qvi ha-
dere ita commentator: *Cui errori Theologi Orthodoxi*, *D. Polycarpus Lyserus*,
cum Collegis, mature, pramissis tot admonitionibus & habitis Colloquis, scri-
ptis, obviarem iiverunt, NB. requisito ejus rei gratia & nostrorum Mansfelden-
sium Theologorum iudicio.

(**) Meritissimum hunc Theologum A. 1600. Mense Octobri mortalitatem hanc des-
cripsimus. De cujus obitu seqventia in *Epistol. Marbach.* p. 789. à *Valo*
Schachtio scripta inveniuntur: *Superintendentis Lubecensis*, *M. Pouchenius*, ante
mensem pīc in Christo obdormivit, status istius urbis & Ecclesia satis deploratus

Hic ergò est Fasciculus Epistolarum, quas in Actis Ministerij Lubecensis
 inveni, inventasque nunc publicandas esse censui. Multa enim in
 illis contineri, quæ ad Historiam Controversiae hujus pernoscendam facere
 poterunt, neminem inficias iturum esse arbitror. Et sanè acerbis
 deplorandum est lacrymis, quod hæc Disceptatio, de arduo doctrinæ
 cœlestis capite, tam vehementer primum agitata, nec tranquillè pla-
 cidèque statim sopita fuerit, prout Dav. Chytraeus speravit, in *Epistol. Mar-*
bach. p. 743. ita scribens: *Collegij Theologici in Wittebergensi Academia instau-*
rati status pulcherrimus & florentissimus superiori anno fuit, qui nunc intestinis dis-
fidiis fædatur; sed amicè componere & Mediatores hoc Mense studuerunt. Ulti-
wam non atrocius paulo post iterum erumpat. Eum verò haud vanum fuisse
 vatem, &c, quæ futura fuerunt, accuratè vidisse, eventus ipse luculen-
 ter comprobavit. Huberus siquidem tūm *literis*, ad diversos Theolo-
 gos exaratis, tūm *scriptis*, variis in locis publicatis, tūm *colloquiis*, hinc &
 indè institutis, sententiæ suæ Patronos conciliavit, ut propterea Leonh.
Hutterus, in *Epistol. Marbach. p. 757.* non malè de Ejus molitionibus ju-
 dicaverit: *Germanica Confessio D. Huberi, Ursellis nuper typis demandata, certè*
monstri aliquid alit, & ad movendas in Ecclesiis turbas, præclaras occasiones suppe-
ditat. Dum enim imprudentiores, inqus hac controversiâ minus exercitati, Confes-
 sionem illam simpliciter accipiunt, in qua profectore rectius ille sentit, quam loquitur,
 neque inter dilectionem, vocationem, & electionem distingvere didicerunt; sit, ut
 plerique, in Huberi sententiam, pedibus, quod ajunt, concedant, injustè ipsum damna-
 tum clamitent, Ecclesiæ Misericordias, earumque Doctores, gravi omnino præjudicio one-
 rent. Cujus rei, τεργυματα quædam, apud nonnullos Reipublicæ nostræ
 Advocatos, Viros aliqui clarissimos, non sine dolore necessè videre habui, qui sola
 illa Confessione moti, ita mordicus causam Huberianam defendendam suscepserunt,
 ut in ipsius sententiam quasi jurasse videantur. Cui assentitur Jo. Magirus,
Ecclesiæ Studgardiæ Præpositus, in modo adductis *Epistol. Marbach. p. 756.*
 verissi-

est. Forsan autem ad pestem respicit, quæ A. 1597. Lubecam nostram occopave-
 rat, de quâ idem Schachtius l. c. p. 772. In vicinis urbibus Saxoniciis pestis sa-
 simè grassatur, & Lubeca præsertim quotidie ultra 100. sepeliuntur. Plura de
 laudato Ephoro tradit B. Dn. D. Sam. Pomarius in *Memoriâ renovatâ Form. Con-*
cordia, p. 56. sqq. Scripta ejus commemorabit *Schediasma meum de Scriptis*
Theologorum Lubecensium; Ut eruditissimi Juvenis, Dn. Philippi Julii Reth-
 meieri, *Historiam Ecclesiasticam Brunovicensem*, quam parat, silentio prætermis-
 tam, in illâ enim varia, quæ ab eo Brunovici gesta fuere, relatum iri judico.

verissimè de eo judicans: *Huberum quod attinet, nihil spei video, est mibi nō
tum hominis ingenium, opinionis semel conceptæ tenacissimum, adeiusq; propagatio-
nem ardentissimum.* *Audio, ejectum è Saxoniâ Electorali, circumcurritare & quæ-
rere Patronos & præla, ut suos collegas non jam Calvinismi, sed Saracenismi publicè
proclamet & reos agat: in tantam, ut fertur, exarsit rabiem.* *Nisi conatibus ejus
obstiterit Dominus, dabit maximas in Ecclesiâ turbas, & offendicula offendiculis cu-
mulabit.* Prætermitto reliqua scripta, quæ adversus D. Hunnum & D.
Osiandrum evulgavit, (vid. *Epistol. Marbach. p. 765. & 772.*) atque inquieti
sui turbulentique ingenii Testimonia esse voluit. Nec pluribus per-
seqvi animus est illud litigium, quod inter fratres, *Wirtembergicos* puta
& *Rostochienses*, concitavit, atque magno studio erat componendum,
de quo *Jac. Heilrunnerus* in *Epistol. Marbach. p. 759.* aliisque scitu non in-
dignis hæc memoriæ prodidit: *De Controversia Huberiana à D. Doctore
Hunno nostro crebras accipio literas, ex quibus intelligo Consensum inter Theologos
Wirtembergicos & Rostochianos, quem aliquo modo turbaverat Huberus, de novo
initum & confirmatum esse: Jamq; inter hos & Huberi novam orituram concer-
tationem propter intempestivam consensus isthic initi evulgationem, quam
illi contra datam fidem ab Hubero factam esse haud obscurè ostendunt.* *Hic
Erphordiæ Concionem Rostochii habitam typis evulgaturus dicitur.* Quo fine illud
fiat, facite est divinare. Sed ipse quoque Deus, qui pro sapientia sua non-
nunquam in Ecclesia hæreses oriri permittit, ut, qui probati, ma-
nifesti fiant, *i. Cor. XI. 19.* hujus hominis conatus infringendos depri-
mendosque esse censuit, quapropter, cum ei è Saxonia emigran-
dum esset, dogma ipsius à diversarum Ecclesiarum Antistitibus non
modo fuit rejectum, sed nec ipse Huberus in Saxonia postea pedem
figere, auresque patulas invenire potuit. Id quod verbis *Helvici
Garthii*, dignissimi *Ægid. Hunni Generi*, quæ in *Epistol. Marbach. p. 809.* le-
guntur, & hunc in modum fluunt, probari potest: *Huberus quidem de
novo aliquid molitur, sed frustra. Intellecto obitu Electoris nostri (Christiani
scil. II. qui apoplexia correptus d. 23. Junii 1611. diem suum obiit) recta
Dresdam se contulit. Petit à novo Electore, ejusque Consiliariis, ut audiretur &
Disputationi cum Theologis Electoralibus adhiceretur.* *Factavit suam longævita-
tem, & adversariis suis defunctis, hinc causæ suæ bonitatem afferere voluit.* Addi-
dit insuper calumnias: *Omnis quotquot jam in Electoratu essent, Theologos esse
Calvinianos.* *Id se monuisse jam ante non semel, & adhuc monere.* Scilicet pu-
tat ineptus homo, nos omnes esse asinos, quos ille solus, præceptoribus nostris à Do-

minos ex hac vita evocatis, equitare velit. Sed responsum fuit homini: Causam satis, viro Administratore Electoratu9 Saxoniae, esse cognitam, ipsum judicio & consensu ordinum ex hisce regionibus ejectum, & calumnias ejus toti orbi Christiano esse notissimas. Quare eò, unde concesserit, redire debeat. Ita re infecta vetus suum latibulum repetere coactus fuit. Dominus vero à perverso atque ABSURDO hoc Homine (sicut ex II. Thess. III. Sacer meus precari solitus fuit) clementissime Ecclesiam suam tandem liberet, Amen. Sam. vero Huberum postea apud Goslarienses vixisse, atque Osterwickii An. 1624. vitam suam finivisse, referunt scriptores, pluraque de eo se traditurum esse, in *Antiquitatibus Ecclesiasticis Gosla-riensibus Diplomaticis*, fidem fecit M. Joh. Mich. Heineccius Ecclesiastes Gos-
lariensis, in *Historica Relatione*, Germanico idiomate, A. 1704. edita, de *Statu Ecclesiæ Goslariensis*, p. 80. Sed hæc, quæ ad *Historiam Huberianismi* aliquo modo pertinere mihi visa sunt, sufficient, quibus ea addi possunt, quæ Luc. Osiander in *Epit. Hist. Eccles. Cent. XVI. Lib. IV. Cap. XLV.* p. 1090. sqq. & Casp. Sagittarius in *Introduct. in Histor. Ecclesiast.* p. 981. sqq. notarunt, & huic argumento illustrando inservire possunt. Sequitur nunc *Censura illa*, à Reverendo nostro Presbyterio, Interprete, (quantum ego quidem judicare possum) M. Andrea Pouchenio, facta, atque Dogma Huberi erudite accurateque impugnans, ubi tamen me cum ignarissimis prorsus scire ingenuè profiteor, num illa, ipso adhuc Pouchenio vivente, num vero post ejus placidum discessum, acceptis à Lysero literis, fuerit transmissa. Quicquid ejus rei sit, rem minime malam me facturum esse arbitratus sum, si eandem, licet prolixam valde, jam exhibuero.

CLASSIS SECUNDA

complectitur

Responsonem & Censuram Ministerii Ecclesiæ Lubecensis, de Dogmate D. Huberi, quo contra Verbum Dei, doctrinam Lutheri, & Formulam Concordiæ, futiliter & falso contendit, Universalem esse Prædestinationem omnium hominum, sive credentium, sive non credentium in Christum, ad salutem & uitam eternam, juxta Verbum Dei, & Formulam Concordiæ quid censendum, à Theologis Wittebergensibus ei proposito.

PRÆFATIO.

Inenarrabili DEI beneficio in Ecclesiis Christi veram & incorruptam Augustanam Confessionem, sine corruptelis Doctrinæ

etrinæ cœlestis constanter & sine sophistica amplectentibus hactenus concessum est, ut in summo necessarioque dogmate, de æternâ & gratuita Prædestinatione Filiorum DEi ad vitam æternam, nullæ obortæ sunt turbæ publicæ per ullos phanaticos, sed sententia hujus Doctrinæ veræ simpliciter & fideliter ab exordio revelati Evangelii, retenta sit sine dissensione à docentibus, ultra hominum memoriam. Verum nostra hac delira & impudente ætate postrema mundi, ubi omnia dogmata divina præcipua plusquam Vatiniano Odio Satan per levia ingenia adoritur & oppugnat, finem suum præ foribus esse intelligens, eo rabiosius in Ecclesiam Christi desæviens, pacem & confessionem de hac doctrina Ecclesiæ sanctæ invidens, per nonnullos quosdam Theologos, leves & veritatis non satis studiosos, conatus est, Prædestinationis Articulum funatum in quæstionem vocare, ita ut pertimescendum esset, ne, semel mota hac gravi disputatione, posteri malum hoc, semel concitatum, & Ecclesiæ vulnera infligi cœpta, ut plerumque fit, augerentur. Igitur ea in Ecclesia Christi prudenter inita est via, ut de hac doctrina Prædestinationis omnis Disputationis posteris in Formula Concordiæ juxta Scripturam sacram ansa præcideretur, & vera sententia omnibus ita illustraretur, diserteque repeteretur, & omnes alienæ & periculosæ & falsæ de ea opiniones notarentur, & inde excluderentur. Cum itaque sectæ nonnullæ impiæ, quæ post D. Lutheri obitum Ecclesiam corripuerunt, in Formula Concordiæ explicatu necessariæ judicarentur, utile Ecclesiæ salutareque simul existimatum est, ut piis Theologis, qui summa fide veritatem cœlestem sonabant, scribendæ Formulæ Concordiæ onus necessarium injungeretur, in qua præter cætera capita Doctrinæ Christianæ nec prædestinationis Articulus præteriretur, sed eadem opera toti posteritati serviretur, tranquillitati Ecclesiæ opera daretur, contra periculosa de eo suboritura aliquando certamina. Et, si qua ex improviso secutura alicubi essent, statim in prima herba Zizania ea opprimerentur, & antequam vires acquirerent, expellerentur. Ac per Dei gratiam ea ratione factum est, ut in Doctrina hac pax Ecclesiæ salvataris conservata fuerit hactenus. Infelici autem sidere postea ex Bernensi Ecclesia Helvetiæ in Germaniam venit quidam, *Samuel Huberus*, homo impotentis ingenii, & magistris turbis dandis in Ecclesia,

D 3

quam

quam tollendis natus, qui falso simulato consensu cum reformatis Ecclesiis Evangelicis, seu Lutheranis, ut vocantur, puram Doctrinam Augustanae Confessionis amplectentibus & profitentibus, tanquam exulet, extorris ex Helvetia ob Calvinismum a se ibi reprehensum, initio sub Illustrissimo Principe Wirtembergensi locum sortitus est, ubi ingenium suum male sanum haud longe post non obscure prodidit, & statim publicè tam in Disputationibus, quam privatis etiam Colloquiis testatus est, se prædestinationem ad vitam æternam, non particularem illam cum Ecclesiis, Formulam Concordiæ profitentibus, & scripta Lutheri, & aliorum, cum iis congruentia amplectentibus, statuere, & credere juxta Verbum Dei (quod solum unicum veritatis est fundamentum) sed eousque sine sacra Scriptura effrons & amens progressus est, ut prædestinationem contendere cœperit universalem esse omnium hominum, sive in Ecclesia, sive extra eam sint, sive habeant & audiant verbum Dei, sive non, sive in Christum credant, sive non. Et se verè pro vertumno vano gesit, ut modo se juxta Formulam Concordiæ & sententiam Confessionis Augustanae doctrinam veram seriò amplecti, religiose & sanctè testaretur, modo quasi sui oblitus illico diversum, sine dissimulatione se à Formula Concordiæ ~~dis dicitur~~ dissentire, testaretur, ut sic astu omnes delusos, sicut restandem ostendit, sceleratè homines falleret: Provoco ad Historiam Actorum Tübingensium, quæ de his artificiis D. Huberi locupletissimè testantur. Post & illud simul consecutum est, ut cum schola Wittebergensis in Electoratu Saxonico, Calvinianis & aliis blasphemis phanaticorum Spirituum, per Dei gratiam ex inopinatò purganda esset, & restituenda primo, qui, Lutherò vivente, fuit & nitori & sinceritati suæ, ut & D. Huberus inter tantarum rerum gestores locum aliquem, magno cum damno Ecclesiæ & infeliciter per nimiam credulitatem, Helveticò homini periculosè habitam, sortiretur, iterum nunc sanctè protestatus est, se in omnibus doctrinæ cœlestis articulis, tum nominatim de prædestinatione, juxta Formulam Concordiæ cum Collegis suis idem planè consentire, & ut tanto pernitiosius istic omnes ad hunc modum falleret Theologos, factum & illud est, cum gradu D. Theologiae à Wittebergensibus post ornaretur, publicè in Formulam Concordiæ citra omnem pudorem & occultationem Dei nomine invoca-

invocato irreligiosissimè, in conspectu & corona maxima doctissimo-
rum Virorum multorum juravit, & sic palam testatum faceret, non
vereri se vanissimorum hominum more & lege vel juramentis ma-
la cum Conscientia præstitis credulos fallere. Non multo autem
post, testantibus id ipsis Wittebergensibus, contra jus jurandum pu-
blicè præstitum, ipsis litem acerbissimam movit, & formulam Con-
cordiæ hostiliter odiſſe, detestari & insectari rursus cœpit, donec cœ-
lum terræ misceret, exitioso classico in Ecclesia excitato. Nec
clam est, quantos labores hisce malis sanandis, cum Tubingen-
ses, tum Wittebergenses, Lipsienses & Jenenses Theologi, una cum
Illustrissimo Principe D. Friderico Wilhelmo, Saxoniam superio-
rem pie administrante, impenderint, ne quidquam, quod quopiam
modo malis hisce corrigendis esset, omitterent, ut Huberus in ve-
ram viam à deliriis suis vanis revocaretur, sed oleum & operam in
hoc sanando hominis monstro luserunt, ut res ipsa manifestavit,
nullis admonitionibus & institutionibus piorum locum eo relin-
quente. Dum igitur res ipsa poposcit, ut periclitanti veritati con-
tra D. Huberum necessario succurrendum esset à Wittebergensibus,
contra perjuriū suū collegam, hunc furoris & amentiæ plenum
& in mentem reprobam, sine omni spe resipiscentiæ, suo testimo-
nio manifestè traditum, quam multis insanis incrustationibus im-
piæ suæ & explosæ sententiæ, & abominandæ hæreſeos, impuden-
tissimisque Verbi DEI depravationibus furiosis, indomiti instar apri-
æstuavit. Nullis autem, quæ confidenter & pro sola autoritate sua
dicit, ullis veris testimoniis confirmat, præceptorem illum suum
Midiam imitatus, *Calumniare audacter, semper aliquid hæret.* Et simul
post tot famosos & calumniosos libros, quos iratus evomuit potius
quam scripsit, de facta sua & commentitia hac Ecclesiæque Christi
omnibus temporibus ignota, prædestinatione universorum homi-
num ad salutem, non puduit nec reveritus est dicere, etiam Judæo-
rum & impiorum Turcarum, Cannibalorum, Caligulæ, Neronis &
Ethnicorum prædestinationem esse communem, nendum solorum in
Christum perseveranter tantum credentium, ut Formula Concordiæ,
cum verbo DEI, perspicuè loquitur. Et eo simul impudentiæ pro-
vectus est, ut Ecclesiæ Christi judicio impiam hanc suam sententiam
& scripta stupidè submiserit, ratus Ecclesiæ Christi veræ Do-
ctores

ctores sic fungos & stipites esse, qui non valeant ejus affanias & nugas
 à veritate, divinitus in verbo sacro revelata, & in Ecclesiæ confessio-
 nibus & Formula Concordiæ toties repetita, dignoscere. Volentes
 igitur nolentes compulsi sunt Wittebergenses, cum veritati sententiaæ
 suæ non diffiderent, aut necensuram Ecclesiæ veræ pertimescere vide-
 rentur, idem contra eum facere, ne paterentur, se Huberianis ca-
 lumniis in suspicionem impiæ doctrinæ apud quæmpiam rapi. Pro-
 indè & ipsi expetiverunt ab omnibus Ecclesiis sinceris & orthodoxis
 urbium Imperialium, quæ Augustanam Confessionem constanter re-
 tinent, ad quas ante eos D. Huberus impudenter configuerat & pro-
 vocaverat, ut de suâ Confessione, quam Wittebergenses de Prædesti-
 natione una ad easdem Ecclesiæ miserunt, censuram suam & judicium
 è Verbo DEi & Formula Concordiæ de doctrina sua de prædestinatione
 ferrent. Et præcipuè de duobus hisce pronuntiarent capitibus,
 primo de doctrina Prædestinationis, quam Wittebergenses, juxta
 Verbum DEi & formulam Concordiæ contra D. Huberum in pro-
 posito libro hoc profitentur, veramne aut falsam eam judicent,
 juxta Huberi diras execrationes & calumnias. Deinde quia more
 suo consveto D. Huberus Wittebergensium Confessionem, & do-
 ctrinam de prædestinatione Calvinismi in hoc Argumento insimu-
 lat, liberè de eo quoque pronuntiari ab Ecclesiis Urbium Imperia-
 lium rogan, num quid ipsis vel tantillum in hoc Articulo doctri-
 nae cum Calvinianis commune sit. Cum itaque Amplissimus & Pru-
 dentissimus Senatus noster, à Theologis Wittebergensibus rogatus,
 de utroque hoc capite nobis sententiam dicere, & verum de his te-
 stari, eique testimonium perhibere, gravitate pia demandavit, lege
 Dei nos constringi & teneri intelleximus. Et non alio consilio, in
 vero timore & invocatione Dei, hanc demandatam nobis operam
 submisse suscepimus, ut veritatem de his rebus, coram Ecclesia &
 Deo, testificaremur; & Deum per Christum rogamus, ut veritatem
 suam inter nos clementer conservet, nec novis certaminibus, di-
 stractionibus, litibus & οὐρανάξει periculosis, concordiam Ecclesiæ
 suæ hisce postremis temporibus, inter docentes in conjunctis hisce
 Ecclesiis, scindi, & turbari sinat. Igitur, quanta brevitate poteri-
 mus, in hoc toto & arduo serioque negotio, & redditione nostri
 judicii, defungemur, secuturi seriem eandem rerum à Wittebergen-
 libus

sibus in Confessione sua traditarum observatam, ut singula eo minore labore cum scripto Theologorum Wittebergensium conferri, & ad verum usum, cui serviunt, accommodari possint; præcipiente Spíritu Sancto I. Petr. 3. parati semper estote ad reddendam rationem, omni eam à vobis poscenti, ejus spei, qvæ in vobis est. Et ut à linea rem ipsam piè ordiamur, initio à Wittebergensibus aliquot paginis ad fideliter erudiendum Lectorem docilem, & rei momenta fideliter nosse cupientem, de moti totius certaminis hujus principali, & vero statu eo ordine ab illis tota re proposita, ut fideliter & distinctè ostendant, qvæ in hac tota controversia, partibus dimicantibus in qvæstionem veniant, & qvæ extra omnem litem ita sint posita, ut de iis nihil omnino disceptationis iis sit. Qvæ admonitio planè necessaria est, ad versuti adversarii D. Huberi crebras tergiversationes denudandas, qvib⁹ is in hac tota controversia, subindè statum verum controversiæ transponendo, vel deserto, vel callidè aliis occultato, extra oleas improbè evagatur, ea prætexens, qvæ revera inter partes controversiæ non sunt, ut sic nimium credulo vel imperito Lectori & Auditori, à statu seu scopo vero versutè abducto, facilius Huberus imponat, & fucum faciat, qvod num viri boni sit, causam necessariam sine dolo bona fide agentis, judicium Lectori relinquemus. Qui autem verum statum de qvæstione totius hujus certaminis rectè cognoscere cupit, & ubi in hac causa pes contra Huberum figendus, & qvæ in tota lite mota intuenda sint, qui rem ipsam accuratiùs æstimare volet, diligenter meminerit, qui diverticula omnia vafri & effrontis adversarii evitare volet, id in qvæstionem præcipue partibus venire, & controversum esse, ut à Wittebergensibus perspicuè describitur, cogitabit. Num videlicet universalis sit prædestinatio seu electio omnium hominum sine differentiâ & discrimine ad vitam æternam, sive in Christum credant, sive non credant, adeò ut extra electionem & ordinationem divinam ad salutem, non judicandus aut habendus sit, etiam Judas, Nero, Heliogabalus, Cicero, Socrates, & qvivis alias Ethnici, qvod cum verbo DEI δις άγε ματων, manifestè pugnat, ut clarissimè à Wittebergensibus evincitur. Et ne Huberus, pro vanitate sua, hoc inficias eat, nec sibi falso tribui queritetur, ut mercatu Lipsico vernali An. 97. fecit in confessione sua de Prædestinatione universali repetita, & denuò sparsa, editionis loco ac Typographi nomine suo more

E

stu-

studiose occultato : Statum verum esse hunc totius controversiae, Huberi verbis, audi, de hac ipsa re, verum testantis in responso suo ad Tübinger Theologos, parte secunda Actorum Tübingerium p. 74. Atque (ait ipse Huber) hic celare non possum, improbari à vobis doctrinam de universal electione hanc, quod Deus omnes homines ad vitam elegerit, sive credant, sive non. Item quod Deus omnes homines etiam nunquam credituros in Christum ad vitam elegerit. Et in assertione sua germanica p. 37. ait, novam esse lingvam, imo pronuntiatum falsum esse nugatur, si afferatur, Deum eligere credentes: Imò Deum elegisse tantum incredulos, quales omnes naturā sumus. Et in scripto ad Ambergenses illud confirmat sine omni pudore & conscientia, inquit: Universum humanum genus (atque sic non minus Turcas & Judæos reprobos filios Dei hostes quam fideles) ἐκλεκτὸν hominum γένος esse. Quid? quod in Actorum Huberianorum p. 99. sic amenter evomit, nec phrasit, nec re, scripturæ consonum esse, eligi ad vitam credentes, & esse phrasin eam à sacris literis alienam, quod Deus credentes ad vitam æternam elegerit: Formula Concordiæ coram affirmat folio 590. segmento 12. Deus Pater in æterno suo consilio decrevit, quod præter eos, qui filium ejus Iesum agnoscunt, & in eum verè credunt, neminem salvum facere velit. Et pag. 759. æterna electio vel prædestinatio Dei ad salutem non simul ad bonos & malos pertinet, sed tantum ad filios Dei, qui ad vitam æternam consequendam electi & ordinati sunt, priusquam mundi fundamenta jacerentur. Desinemus hanc partem longius persequi, cum haec sufficient ad statum Huberianum cognoscendum coram omnibus piis, quibus serio cordi est, verum nosse statum controversiae, pro quo arma stulte & impie sumit Huber, nominis & famæ alicujus tantummodo aucupandæ gratia, Hephestionis exemplum imitatus, qui, ut nomen aliquod apud posteros sibi faceret, Ephesinæ Dianæ templum incendio abolevit. Et nos toto pectore id somnium Huberi coram Ecclesia & Deo detestamur, & omnibus diris devovemus, Ecclesiisque nostris eum statum ignotum omnibus temporibus fuisse hactenus testamur, affirmamusque, falso & contra conscientiam ab Hubero Wittebergensibus tribui, eos docere electionem, juxta Calvinianorum sententiam, particularem (ut Huberū inscitè colligit, & ipsis affricat immerito)

ut

ut qui contendant & velint, à Deo absoluto quodam & irrevocabili decreto & beneplacito occulto, paucos duntaxat homines ad vitam æternam prædestinatos esse, hosque sic adamantino quodam decreto confirmatos & circumvallatos esse, & planè irrevocabili, ut semel ad vitam æternam ordinati, nulla impoenitentia, incredulitate, & peccatorum, quantumvis mortalium, atrocitate & turpitudine, electione Dei rursum excidere & perire possint. Reliquos autem omnes homines Deum ad æternam condemnationem immutabiliter prædestinasse eâ lege, ut nulla salutis ratio adipiscendæ iis relicta sit, nam non toti mundo Redemptorem & Salvatorem à Deo Patre datū esse, nec pro omnium hominum peccatis expiandis aut pro redemptione ac salute omnium mortalium, sed tantum pro electis satisfecisse, & λύτρον Deo persolvisse. Quod planè Scripturæ sacræ refragatur, ut 1. Cor. 9. ex his Apostoli verbis manifestè constat: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobis efficiar. Et Paulus suo Exemplo de lapsu tristissimo hic contradicit Calviniano furori. Post hæc sine verborum ambagibus denuo Hubero ab iis ostenditur, quod verus status certaminis, de quo inter Wittebergenses & eum non conveniat, sed disceptetur, hic sit, ut jam diximus. Num Deus actu & ipso opere, seu revera in Christo omnes homines ad vitam æternam prædestinaverit, ordinaverit, elegerit, sive in Christum credant, sive non credant, & an propriè πρώτως seu κυρίως juxta Sancti Spiritus phrasin doceat, si quis dicat, Deum elegisse omnes homines ad salutem seu vitam æternam, imprimis autem: Verane sit phrasis hæc, si quisquam etiam adjecta impudenti hac & impia clausula Huberiana doceat, esse pariter omnes homines ad salutem indiscriminatim prædestinatos, sive credant sive non credant in Christum. Et addunt Wittebergenses, Huberum simul contendere has phrases proprias esse, & planè congruere cum scriptura sacra, etiamsi addatur hæc clausula, scilicet homines sive credant, sive non credant. Wittebergenses verò contra hæc respondent, ne agere se captiosè palam testentur, primam locutionem *veram*, quæ de omnium hominum electione ab Hubero dicitur, si de universali dilectione, voluntate antecedente, consilio & Dei beneplacito clementi, & de desiderio Dei erga omnium hominum salutem intelligatur.

tur & explicetur, & remotis clausulis Huberianis sive credant in Christum sive fide in eum destituantur, usurpetur, & opponatur doctrinæ Calvinianæ, non pro impia habendam esse, nec simpliciter explodendam: quanquam verè sit impropria, nec scriptura ad eum modum de prædestinatione unquam loquatur. Si vero addatur hæc phrasis Huberi impia, omnes homines à Deo simul esse electos ad vitam æternam, simpliciter eam damnant, ut alienam à doctrina Evangelii, quod Prophetæ, Christus & Apostoli tradiderunt, & nostro hoc seculo à Deo Ministerio Lutheri clementer patefactum & in lucem reductum est, sed esse eam phrasin vocem falli cuiusdam Evangelii, in cerebro Huberi, & similium Spirituum recens enati, & nuper admodum, sine Spiritu Sancto patefacti: ad quem modum nemo eorum Theologorum etiam (qui phrasit universaliis electionis aliquando incommodiis usi sunt) unquam sit locutus. In his omnibus nos Wittebergensibus per omnia ομοψήφας esse profitemur contra Huberum, cujus nugas, contrarias planè, toto pectore detestamur, una cum omnibus illis, qui hisce verbis & sententiæ Huberi dolose colludunt. Et contra docemus, non longius patere prædestinationis statum, quam justificationis, nec eam tam latè vagari ac vocationis, teste Christo Matth. XXII. Multi sunt vocati, pauci vero electi; idque non DEi culpa aliqua, sed solum hominum vocatorum, non obedientium vocationi sed refragantium, non agentium pœnitentiam, nec in Christum credentium perseveranter & finaliter, ut dicitur, Ebr. IO. justus autem meus ex fide vivit, quod si subverterit se, non placebit animæ meæ. Et Ebr. II. Sine fide impossibile est placere DEo. Et quæ Wittebergenses de statu & phrasí Huberi pie commemorant, ea pluribus ejus verbis & locutionibus probant, ut verè cœcutientis sit, aut totius controversiæ ignari, si quis Hubero in his subscribat. Utinam idem & æqualis candor Huberi quoque sit, qui Wittebergensium est in demonstrandis & confirmandis illis, quæ in Wittebergensibus multis verbis mendax passim criminatur & sine causa culpatur. Qvod vero Wittebergenses de Huberi calumniis conqueruntur, quibus eos passim ad omnes deferat, ut qui Evangelium de gratiâ DEi, & de hominum ad salutem Prædestinatione, contentur obscurare, funditus delere & depravare: Ad id respondemus simpliciter: Magnum quidem id Huberivisum iri verbum, si verum dice-

diceret, & testatum redderet palam, qvibus verbis, & ubi id à Wittebergensibus doceatur. Nec solum, modo sic nude calumnianti Hubero, nil verò eorum, quæ dicit rectè, disertè & clarè simul probanti, à cordato qvopiam fides habebitur. Meritò igitur ex eo Wittebergenses qværunt : qvodnam Evangelium de Prædestinatione Huberus intelligat à Wittebergensibus depravari ? Num igitur viri boni loco habendus sit Huberus, nisi palam fecerit hoc, qvod iistam pleno & impudenti gutture sine fronte calumniose affricat, quis non magnoperè dubitet, si in aliis impudenter sic quidque accusare & comminisci pro arbitrio sufficiat, quamdiu vel optimus quisque erit innocentis ? Merito igitur crimen mendacii & blasphemiae in eum rege ritur, dum blasphemè dictitat, à Deo indiscriminatim omnes homines simul ad vitam prædestinatos esse, sive in Christum credant, sive non credant. Id enim cum nullo Evangelio vel in V. T. per Patriarchas & Prophetas, vel in N. T. per Christum & Apostolos tradito, consentit, Et Lutherus verbose ex professo Tom. 2. germ. Jenens. Anno Christi 23. id refutat in explicatione quæstionis, an quisquam, sine fide defunctus, salvetur, & evidentibus & firmis testimoniis scripturæ confirmat, nec velle nec posse DEum quenquam salvum facere sine fide, ut Marci ultimo capite: Qui non crediderit, condemnabitur. Ebr. II. Im possibile est sine fide DEo placere. Joh. 3. Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu & aquâ, non potest introire in Regnum DEi. Qui non credit, jam judicatus est. Si itaque sine fide Deus quenquam salvaret, contra verbum suum ageret, seque ipsum mendacii argueret, quantum igitur à veritate divina dissidet, DEum mentiri posse, tam fieri non potest, ut salvet quenquam sine fide. Hoc clarum & intellectu facile, & perspicuum est. Et approbamus corde & ore omnia & singula, quæ Wittebergenses in prima hujus libri sui parte eruditè & pie contra Huberum amentem edisserunt, quæ ipsis cum Hubero in quæstione versantur, & quæ simul planè ad hanc litem non pertinent, quibus maxima pars technarum Huberi detegitur, & refellitur, quibus credulim is lectorem nequiter & calumniosè in toto suo putido hoc & impio dogmate de prædestinatione universali circumvenit inque fraudem pellicit. Ne à quopiam ignoretur verus & cardinalis status controversiæ Huberi de prædestinatione, in quovis capite totius certaminis, quod Wittebergensibus orthodoxam fidem profitentibus

fibus intercedit cum ipso Hubero falsam, & impiam sententiam profi-
 tente, & in hac tota controversia universalem æternam Dei electio-
 nem omnium, & quorumvis etiam Ethnicorum, extra Ecclesiam Dei
 versantium, non habentium, nec recipientium verbum Dei, quo ad
 Regnum DEI & salutem vocemur, quales sunt Cannibali, Atticus,
 Scipio, Xerxes, Cicero, quos Cinglius quoque salvandis annumerat
 cum D. Hubero contra verbum Dei. Quam partem de statu & non sta-
 tu causæ usq; ad paginas integras septem Wittebergenses extrahunt,
 & de illis sentimus, ea omnia convenire nostrarum cum Ecclesiarum
 confessione tradita in Formula Concordiæ, & Lutheri Scriptis pro-
 nuntiamus. In Hubero autem diversum deprehendimus, ut qui à no-
 strarum Ecclesiarum confessionibus, & pia nostrorum sollicitudine,
 in Formula Concordiæ è Verbo Dei traditis, & à Doctrina D. Luthe-
 ri, à quo in hoc capite de Electione seu de prædestinatione Huberus
 totus dissentit, & ea nugaciter comminiscitur, & in Ecclesiis no-
 stras per vim, plusque quam dictoria quadam autoritate in-
 vehere sibi arrogat, eaque pro catholicis reputat, propriè &
 univocè loquendo, quæ hactenus nemo sincerus Theologus
 pro sanis & orthodoxis phrasibus & dogmatibus in Ecclesia Christi
 habuit. Hæc igitur Huberiana nugamenta cui arrident, re ipsa pa-
 lam omnibus testatum facit, se nunquam nostrarum Ecclesiarum
 reformatarum, quæ puram Verbi DEI doctrinam, & incorruptam
 Augustanam Confessionem, & formulam Concordiæ & doctrinam
 Lutheri constanter amplectuntur & profitentur, rectè intellexisse,
 nec scripta & sententiam earum à longe unquam cognovisse, aut
 per transfennam salutasse, sed esse revera de numero vertumnorum
 hujus seculi nostri, qui libertatem infinitam & impiam sibi vendi-
 cant & tribuunt, quodvis spargendi nec ulli se confessioni certæ
 ex animo addixerunt, non secus ac si, in rebus ludicris, astragalis
 impune alios decipient, & circumveniant simpliciores isto suo,
 κεῖται & κεῖται, multo irreligiosiores Ethnicis, qui cane & angui pe-
 jus oderunt τὸ τὴν ἀγορὰν φύεσθαι, quibusque illud Medii allube-
 scit: *Calumniare audacter, semper aliquid beret.* Hisce 14. Capitibus, quæ
 annotantur de statu, à certamine clarè remotis & præcisis, ut con-
 stet, quid in lite sit positum Wittebergensibus cum adversario suo
 Hubero, status vere est in hisce sic perspicue & propriè positus,

ut

ut rectè & ingenuè sine verborum ullis ambagibus rotundè & res
 etè Wittebergenses declarant, sicut res ipsa evidenter testatur. Num
 scilicet Deus actu & verè opere ipso prædestinarit, ordinarit, & ad
 vitam æternam elegerit pariter omnes & quoslibet homines indi-
 scriminatim, sive in Christum credant, sive nunquam fide Christum
 apprehendant. Et num hæc sit propria loquendi ratio & phrasis
 scripturæ sacræ vel Spiritus Sancti, si quis affirmet, Deum in Christo
 omnes promiscuè homines elegisse: Et imprimis, si adjiciatur impia
 & blasphemæ clausula hæc Huberiana, sive ipsi in Christum credant,
 sive non credant. Utrumque enim est dogma Huberi, quod veri-
 tati Evangelicæ, impiè & contra conscientiam nugatur conforme
 esse, perinde ac si quis dicat, sine discrimine omnes homines in
 mundo justificari, remissionem peccatorum accipere, sive credant
 sive non credant in Christum. Statuet enim is contradictorias in
 Deo simul voluntates, fide & sine fide in Christum pariter coram
 Deo justificari & salvari. Ad hanc quæstionem sic propositam
 cum Wittebergensibus respondemus, & idem cum iis sentimus cate-
 goricè & sine omni ambiguitate. Si prius $\gamma\eta\mu\alpha$ illud de electione
 omnium hominum, ut antea diximus, de generali voluntate Dei cle-
 mente, misericordè, antecedente, Consilio & beneplacito DEI
 proposito, & gratioso desiderio de omnium hominum salute in-
 telligatur, & sine Huberiana clausula usurpetur, sive credant in Chri-
 stum, sive non credant, & Calviniano dogmati de decreto absoluto
 prædestinationis opponatur: non simpliciter pro falso & damnato
 per omnia respui, et si impropria ea sit loquendi forma, nec scriptu-
 ræ sacræ usitata & conformis. Et simul pronunciamus ore & cor-
 de, si quisquam hac Huberiana phrasi contendat, & velit omnes ho-
 mines à Deo ad salutem promiscuè & verè esse prædestinatos, si-
 ve credant in Christum, sive non, nos coram DEO & Ecclesia
 expresse asseverare, & testari impropriè simul, impiè, blasphemè, &
 non orthodoxè id dici, & in Ecclesia ita doceri, nec convenire
 Evangelio, qvod Christus & Apostoli docuerunt & propagarunt, &
 D. Lutherus per S. S. hisce postremis temporibus fideliter repurga-
 vit: nec ad hunc modum locutos esse hactenus ullos Theologos sin-
 ceros, multo minus phrasin hanc universalis Electionis cum impia &
 nova clausula Huberiana (sive credant illi in Christum sive non cre-
 dant

dant) usurpare. Qapropter frustra nititur Huberus sycophanticè impropriis aliorum testimoniis hic se venditare, & palliare. Et in sequentibus nervosè & piè docere Wittebergenses testamur, solummodo ad solos credentes electionem æternam se extendere, seu, ut Compendium Formulae Concordiæ loquitur: prædestinationem tantum ad bonos & electos filios Dei pertinere. Non quod jam tum in æterna prædestinatione (ut pueriliter cavillatur Huberus) igitur oportuerit fide præditos & charos Dei filios esse, Deo eos ab æterno eligente; Sed quod divina gratia & operatione in tempore gratiæ credituri sint in Christum ad vitam æternam, docente Apostolo I. Tim. I. & contra somnium Huberi de universalis omnium hominum credentium & non credentium prædestinatione, pariter ad salutem, opponimus manifestissima scripturæ dicta, quæ particularem Prædestinationem palam tradunt, ut Matth. XX. & XXII. Multi sunt vocati, pauci vero electi. I. Cor. I. Non multos sapientes secundum carnem, non multos potentes, non multos nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus. Et placuit Deo per stultitiam Prædestinationis salvos facere credentes: Et formula Concordiæ perspicuè ait: Prædestination, seu æterna DEi electio, tantum ad bonos & dilectos DEi filios pertinet, qui ad æternam vitam consequendam electi, & ordinati sunt, priusquam mundi fundamenta jacerentur. Et crediderunt, qvotqvt erant prædestinati ad vitam æternam, Act. 13. Et Christus est liber vitæ, in quo omnes adscripti, & ad salutem electi sunt, qvi salutem æternam consequuntur. Et in Christo Electio æterna DEi Patris est qværenda. Is verò in æterno suo consilio decrevit, qvod præter eos, qui Filium ejus JEsum Christum agnoscunt, & in eum verè perseveranter credunt, neminem salvare velit. Et in declaratione hujus qvæstionis de æternâ electione filiorum DEi inquit liber Concordiæ, inter Augustanæ Confessionis Theologos nullam hactenus apertam controversiam ortam fuisse. Quid dilucidius quis dixerit, æternam electionem DEi non esse omnium indiscriminatim hominum universalem, sed tantum filiorum DEi particularem? Et posteà repetitur in Formula Concordiæ & Epitome ejus: Initio discrimin inter æternam præscientiam & inter æternam electionem filiorum DEi observandum est. Et hactenus singulari DEi beneficio, cum scriptura docuimus,

quod

quod DEus omnes illos in gratiam recipere, & filios atque hæredes DEi adoptare velit, & justificare, qui in verâ confessione, fide vera, Christum amplectuntur vel recipiunt, h. e. solos in Christum credentes, & in fide Christi finaliter perseverantes. Et quoties illud Philippo Melanchthoni docenti in ore fuit? In cœtu vocatorū aliquos electos esse? Nunquam dicit, omnes in cœtu vocatorum electos esse: Quomodo igitur quis dixerit, omnes vocatos esse verè electos ad salutem? Quod si de omnibus vocatis verum non est? quo ore somnies, dici illud de non vocatis, dicente Apostolo: quos prædestinavit, hos etiam vocavit. Et sic Joannes Manlius ex prælectionibus Philippi in palimpsesto suo annotavit: Prædestinationis est secreta sententia, qua DEus elegit aliquos ad vitam æternam. Et idem Manlius ex Lutherō addit: Verum est, DEum aliquos ex hominibus alias rejectis, ad vitam æternam elegisse, & destinasse, anteqvam jacerentur fundamenta mundi. Et hoc judicium DEi occultum est in Christo revelatum, credentes salvari, incredulos autem condemnari. Et Jacobum Andreæ audi in Disputatione suâ de Prædestinatione, thesi 172. DEi immutabilis voluntas est, ut omnes Evangelio credant, ut & credentes salventur. 173. Quemadmodum etiam ejus voluntas immutabilis est, ut, qui non crediderit, condemnetur. 174. Nec promissionum Evangelii universalitas, cum electionis particularitate pugnat. 175. Non enim promiscuè omnibus, sed credentibus tantum, æternam salutem promisit. 176. Inclusa est ergò particularis Electio in universali promissione, ne quis propter peccata sua vel absolutum aliquod DEi decretum de occultâ ejus & inevitabili damnatione forte factum Evangelii promissionem, ad se nihil pertinere, existimet. Et in priori synopsis Epistolæ ad Romanos 152 thesi: A promissionibus Evangelii exordiendum est, cum sint universales, Electio autem particularis, nequaquam tamen pugnat. 153. Evangelium suam restrictionem habet, cui nisi quis crediderit, nihil utilitatis inde percipiet. Vide confessionem Doctorum Ecclesiarum nostrarum, & omnes videbis ab Huberiano phanaticismo dissentire. Hactenus in Ecclesiis & Scholis harum regionum, tutissima & receptissima fuit hæc regula, quam ex Philippo Melanchtone, in Dialecticis etiam pueri didicimus: Extra visibilem cœtum Ecclesiæ seu vocatorum non esse fingendos electos, cui jam Huberus sine fronte & scripture contradicit: Et sic

F

hodie

hodiè nostræ Scholæ & Ecclesiæ cum Melanchthonem piè argumentantur: Tantum in cœtu vocatorum sunt electi, qvia Rom. VIII. dicitur: quos elegit, hos & vocavit. Nulli Turcæ sunt in cœtu vocatorum, hoc est, baptizatorum & amplectentium Evangelium. Ergò, qui manent inter Turcas, non sunt electi. Quis igitur vel juranti Hubero crediderit, somnianti omnium hominum esse electionem ad salutem, etiam non vocatorum, qui sunt extra Ecclesiam, & Electionem complecti etiam infideles, Judæos, Turcas, Cannibalos, Caligulam, Socratem &c. Addimus, quod Hubero insolubile est omni sua sycophantia, qua sola imprimis eminet: Omnes Electi salvantur. Non omnes homines salvantur. Ergò non omnes homines indiscriminatim sunt electi. Et electio denotat segregationem vel separationem in hoc doctrinæ Capite, ex aliquo magno numero, cœtu seu multitudine, aut cumulo hominum. Electi igitur revera sunt, non omnes homines, sed aliqui ex humano genere segregati & selecti, qui vitam æternam possidebunt, cæteris pereuntibus. Antecedens patet ex Mose Deut. 7. Te elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis gentibus terræ. Et 3 Reg. 8. Tu separâst eos tibi in hæreditatem, de universis populis terræ. Et Christus Joh. XV. Ego elegi vos de mundo. Igitur scelestum est, fingere totum mundum, seu omnes indifferenter homines, esse ad salutem prædestinatos. Hæc, Huberi nugamentis opposita, sufficiente pio & veritatis studio Lectori.

C A P U T I.

Degenerali dilectione, gratiâ, misericordiâ, voluntate, consilio & beneplacito DEi, de salute & beatitudine omnium, & quorumvis hominum indiscreta.

Exposita sententia falsa & impia Huberiana, de promiscuâ & indifferenti quorumvis hominum credentium, & non credentium in Christum, Prædestinatione ad salutem: Econtra suam fidem Wittebergenses è Verbo DEi perspicuè nunc exponunt, quid de hoc Articulo Electionis contra Huberum & similes Phanaticos credant & sentiant. Quæ Wittebergenses juxta revelatum DEi verbum orthodoxè, piè & prolixè disputant, contra perniciosam imaginationem & opinionem de Calvinistarum absoluto decreto, quo impudenter Calviniani contendunt, & persuadere passim imperitis student, nolle DEum

DEum omnes homines salvari, sed eorum partem maximam pérpetuō
 damnari, & eâ de causa plurimos homines æterno, absoluto & immu-
 tabili quodam decreto DEi, à beatitudine & cœlesti gratiâ & salute re-
 jecisse, & simpliciter ad infernum & æternam damnationem or-
 dinâsse, idque non propter ullam culpam incredulitatis aut finalis
 eorum impœnitentiæ, sed absolutè tantum, hoc est, mero & nudo
 quodam decreto, beneplacito & quasi voluntate invida, DEum sic
 velle, hostili seu immisericorde, citra omnem considerationem ullius
 rei seu causæ, huc eum impellentis, ut alias tyrannicè dicitur: Sic vo-
 lo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas, non secus ac Johannes de Ger-
 son de vivario pullis pleno, pronunciat, non ratione ulla mo-
 tum, sed quos libeat, aut velit, ut fors ferat, hos tollat & mactet,
 aliis parcat & abstineat mactatione eorum, & hac parte, pro-
 pter infallibilia Sacræ Scripturæ testimonia, Wittebergensium
 sententiam Hubero expositam probamns, & omnia contraria palam
 damnamus, ut confessioni & doctrinæ Verbi Dei, & nostrarum Ec-
 clesiarum, quæ Formulam Concordiæ firmiter amplexæ sunt, & ei
 constanter subscripserunt, reclamantia. Et orthodoxe docere Theo-
 logos Wittebergenses affirmamus, quod Deus voluntate sua ante-
 cedente, & misericorde, omnes homines, ne uno quidem excepto,
 seriò salvos velit, & semper voluerit ab æterno: tamen inde non
 ilico consequi, omnes ex æquo & pariter quoscunqne homines ad
 vitam æternam prædestinatos & ordinatos esse à Deo, sive in Chri-
 stum credant, sive non credant, sicut Huberus desipit, & furiose
 gannit; cum plurimum differant: Deum velle aliquid, & Deum ali-
 quid prædestinare, ordinare & eligere. Et recipimus & approbamus,
 semperque in Ecclesiis nostris de hac quæstione unanimiter docui-
 mus prorsus, quæ Wittebergenses hoc loco de fide sua in hoc Arti-
 culo confitentur, & quæ simul de distinctione, & discrimine volun-
 tatis Dei antecedentis & consequentis jungunt, & quid de utraque
 voluntate Dei ab iis declarationis loco adhibetur. Summariè igi-
 tur & compendiosè sententiam & fidem nostram coram Deo & Ec-
 clesia Christi testamur de hac quæstione, sine omnibus verborum in-
 volucris & ambagibus planissimè corde & ore; Non ferendum esse
 Huberum, sic pueriliter & impiè in tam ardua & necessaria doctrina,
 ludentem, in tota hac controversia, & Wittebergensium Confessio-

siem, quæ hoc toto capite primo ab iis editur, totam orthodoxam & veram esse credimus, & consentaneam Verbo Dei, & semper in Ecclesiis nostris & scriptis usitatam fuisse, nec novi quicquam à Wittebergensibus afferri de absoluto aliquo Calviniano decreto, vel de Deo, omnes homines simul salvari, nec quenquam à salute excludi, sed ad agnitionem veritatis omnes pervenire, propter aliquam omnium hominum prædestinationem volente. Et hanc generalem Dei voluntatem antecedentem, nec absolutam esse, nec carere consilio, de beneplacito Dei. Et sic consequenter amplexiamur, & probamus cum Wittebergensibus, quæ hoc integro capite de generali Dei voluntate & aliis, contra Huberum, profitentur, usque ad finem hujus primi capituli. Et simul testamur, Huberum Calvinismi sine omni colore & causa vel minima, falso in hoc doctrinæ capite, crimen & dogma Wittebergensibus tribuere. Quia enim disertè dicunt, Deum voluntate sua antecedente velle omnes homines salvari, nec quempiam vitæ æternæ beatitudine ullo absoluto decreto exclusum damnari, nedum maximam hominum interire partem, ut maledica & blasphema Calvinistarum sex delirat & blasphemat, maximam humani generis generis partem à Deo ad æternam condemnationem creatam & ordinatam esse, nec ullo modo ejus misereri velle, quis vanitatem Huberi, & mentiendi libidinem hanc, in optime meritos de Ecclesia viros, præ obesitate judicii non agnoscat? Calvinismi igitur vel hinc liquet immunissimos esse Theologos Wittebergenses: & optaremus, D. Huberum esse hac in doctrina tota, tam veritati verbi divini affinem, & consentaneum, quam Wittebergenses à Calvinianis furoribus abhorrent, ut plurimis locis subinde ostendunt & inculcant. Et ad pleniorum veritatis illustrationem, & Huberi nærias retundendas, huc adjicere voluiimus de voluntatis antecedentis & consequentis vera differentia ea, quæ Wittebergenses, in libro Francofurdenſi, de providentia & prædestinatione, in præfatione ex dialogo Damasceni de hæresi Manichæorum, & sæpius alias, allegant, & Hubero opponunt. Et una cum Theologis Wittebergensibus prudenter & piè inter antecedentem & consequentem voluntatem Dei discernimus, ut in utraque pariter prædestinationem collocandam negemus, sed tantum in consequente voluntate sola eam statuamus. Antecedentem enim Dei

volun-

90

voluntatem cum tota Ecclesia, & pia antiquitate affirmamus, esse
 serium & ardens desiderium in Deo erga salutem omnium homi-
 num, qua Deus fide in Christum, omnium sine discrimine hominum
 Redemptorem, vult salvos fieri 1. Tim. 2. Quapropter filium suum
 (quod Calviniani omnes uno ore negant) toti mundo salvatorem
 dedit, ejusque meritum vult & jubet omnibus in verbo, & unicuique
 sigillatim in sacramentis offerri, & exhiberi, & ab omnibus & sin-
 gulis fide certò & sine omni dubitatione vult apprehendi. Et se-
 riò irascitur, si hæc media à quopiam fastidiantur & spernantur, ut
 Christus Luc. 14. testatur. Nec hic quidquam liberi arbitrii viri-
 bus tribuitur, ut nugatur Huberus, sed Deus ipse pollicetur toties,
 auditu, cogitatione, & meditatione verbi, & usu sacramentorum in
 cordibus auditorum se per Spiritum Sanctum velle efficere, ut cre-
 dant Rom. XV. Joh. VI. Hæc antecedens voluntas DEi omnes ho-
 mines in genere simul respicit, vultque, eos omnes pariter verbum
 DEi audire, sacramentis uti, & auditu verbi fidem Christi, Spiritus San-
 cti gratiam concipere, eaqve DEi voluntate etiam salvari, idqve hac
 antecedente sua voluntate, DEus vult etiam de his, qui tamen actu
 non audiunt verbum, actu non credunt, actu & re ipsa non salvantur
 propter spretum verbum. Ast voluntatem DEi consequentem vo-
 cat Ecclesia, qua DEus homines aspicit, sicut vel actu ipso, tempore
 gratiæ verbum audituri, vel non audituri, ei per Spiritus Sancti ope-
 rationem vel credituri, vel sua culpa & repugnantia non credituri
 sint, & eos, quos DEus in tempore finaliter & perseveranter creditu-
 ros, præcognoscit, hos ad salutem & vitam æternam prædestinat &
 ordinat: Eos verò, qvos præscit & cognoscit, in Christum non credi-
 turos esse, in tempore gratiæ cum vocantur, hos omnes non aliquo
 decreto suo absoluto reprobationis, sed tantum propter solam eorum
 impœnitentiam, & incredulitatem finalem eos rejicit, & perituros
 minatur, & damnationi adjudicat. Et si saluti eorum, nullo obstante
 DEi decreto reprobationis absoluto, auxilio, & gratia Spiritus Sancti,
 per auditum verbi converti, fidem consequi, & tam certo salvari po-
 tuissent quam Adam, Eva, Abraham, Daniel, Petrus, Paulus &c. ut
 huc facientia sæpenumero, & copiosissimè Wittebergenses repetunt
 & inculcant. Ita non in voluntate DEi antecedente, sed conseque-
 te se offert decretum judicii aut reprobationis, quod Huberus præ-

fracte contra Wittebergenses & Scripturam inscītē negat. A qva sententia qvi dissident, Sacræ Scripturæ & scriptis Lutheri, & Ecclesiarum Augustanæ Confessionis publicis & communibus confessionibus ac Formulæ Concordiæ contradicunt, & epicuream securitatem in omnium hominum animis accendunt, alunt & stabiliunt (ut Huberus facit, omni veritate & testimonio Scripturæ destitutus, & Spiritu Sancto carens) & plurimorum condemnationē confirmant, & Deum effacem causam perditionis & condemnationis hominum faciunt. Et omni fronte & fundamento caret, qvod D. Huberus malignitate improbissima, & contra conscientiam, Theologis Wittebergensibus affricat & tribuit, qvod negando universalem Prædestinationem omnium hominum ad salutem, doceant Calvinianam electionem tam DEi particularem, qva paucissimos homines etiam ante tempora secularia ad vitam æternam elegerit, qvos decreto suo immutabili quodam singulari & adamantino sic circumvallârit & communiverit, ut è sui Prædestinatione ad salutem, nullo modo, ob ullam quamcunqve causam seu culpam suam excidere, seqve privare vitâ æternâ, & beatitudine queant, quantumvis horribilibus peccatis mortalibus contaminentur, nec etiam propter ullam incredulitatem suam, & impenitentiam, qvantacunqve ea esse valeat. Quæ omnia perniciissimè, contra Scripturam & Ecclesiam Iesu Christi, summa cum blasphemiam à Calvinistis non Wittebergensibus deblatterantur. Cujus dogmatis impudentiam & vanitatem Wittebergenses à se plus millies in omnibus suis scriptis, adversus D. Huberum editis, depulerunt & damnarunt, manifestèque falsitatis Huberum plurimis argumentis reum peregerunt, & coram tota Ecclesia mendacii convicerunt. Nullum enim ejusmodi absolutum & adamantium DEi decretum, quale Huberus eis de Prædestinatione objicit, universa Scriptura sacra agnoscit, nec ex scriptis Wittebergensium hactenus D. Huberus demonstrare & promere, toties id facere etiam provocatus, utut alias sophistica excellit, potuit. Indè vera Ecclesia Christi, vocem sui pastoris intelligens, facile intelligit, num boni Viri, nedum sinceri & veri Doctoris Theologiæ loco, D. Huberus haberipossit, tanta mendacia & vanitatem contra fidem & propriam conscientiam, in Wittebergenses sine Scriptura spargens, & nil eorum omnium contra ipsos testatum faciens. **Quid ad hoc impudens D. Huberi commentum,**

Witte-

Wittebergenses in libro suo de Providentia & Prædestinatione liquido, & sine ullis verborum circuitionibus responderint, prætermisis eorum multis scriptis alii, hoc unum veritati quærenti, plus abundè satisfecerit. Sic loquuntur de hac putida & fœculenta D. Huberi calumnia, libro qvæstionum & Resp. de Prædestinatione Anno 97. per Spiessium Francofurti edito p. 412. ubi hæc Huberi verba ex 26. pagina confutationis ejus breviter recitantur. Sciendum est (ait Huberus) illos (Theologos Wittebergenses) hanc habere, fovere, & tradere doctrinam, qvod DEUS, ante omnia secula, paucos tantum homines elegerit in Christo & propter Christum ad vitam: atqve hos paucos, (audi pie Lector) dederit filio, ut eis vitam daret, & pro ipsis se mediatorem sisteret, & quos solos illuminaret, solosq; emeret ex hominibus, atq; hos solos esse, quos Deus præviderit, credituros & perstituros, & idcirco in his & foliis his, ex prædestinatione Dei, esse efficacia media, & promissiones ad hos solos propriè extendi, hos etiam paucos ita esse beneplacito Dei circumvallatos & munitos, ut non possint amplius salute sua ulla incredulitate aut causa excidere. Nota vocem planè Cerebeream, Satanæ & infernalem, Christiane Lector. Nec contentus his horridis & intolerandis criminacionibus & calumniis, sed quasi re benè gesta, sine fronte repetit, & magna contentione ingeminat pudendam hanc suam calumniam pagina sequente: Petimus, inquit Huberus, ut demonstrent Wittebergenses ELIGERE hoc loco habere vim separationis, & in Christo eligere ad vitam, esse paucos eligere ad vitam, propter Christum eligere, esse paucos eligere ad vitam: per Christum eligere, esse paucos eligere ad vitam: Et vim paucitatis ex præscientia suum habere ortum. Quærimus, unde habeant, in Christo prædestinatos ad vitam, perire non posse ulla incredulitate, & nullum esse irritum prædestinationis ex culpa hominum eventum? Quærimus, unde habeant, librum esse scriptum adamantino stylo, ut pauci adscripti: ut adscriptorum nemo, culpa & contumacia sua eradi possit. Hæc Huberus, Ad ea hæc D. Hunnius Hubero pro se respondet. Dico palam tot his verbis Huberi inesse mendacia, quot penè sunt periodorum membra. Etenim, quod ait, docere nos, Deum ante omnia secula paucos tantum homines elegisse in Christo, & propter Christum ad vitam, Sciat pri-

primo lector, nos sic non loqui solitos: Deinde per paucos istos intelligit ipse quosdam ita electos, qui nulla incredulitate damnari queant, cæteris ex solo beneplacito in incredulitate miseriaque relictis: ita namque ipse Huberus explicat. Hanc blasphemiam nemo unquam ex ore nostro audivit, nemo unquam in scriptis nostris legit (mentiris igitur flagitiose Hubere, quantumvis Doctor) Secunda fabula est, quod hos paucos (quos ita præcise elegerit Deus, ut nulla incredulitate damnari possint) opinemur, Christo datos, ut eis vitam daret, & pro ipsis se Mediatorem sisteret. Ubi partim confusione phrasium, partim asperis calumniis sententiam nostram planè pervertit (inquit D. Hunnius per Spiritum Sanctum.) Nam quod phrasis de datis Christo à Patre, solos credentes in Christum complectatur, & quo sensu ea sit accipienda, docebitur suo loco, & Argumentis evincetur, in omnem æternitatem invictis & immotis, ad solos fideles pertinere. Quod autem sentiamus venisse Christum, ut solis his vitam daret, seque Mediatorem pro ipsis solis sisteret, calumnia est. Venit enim, ut totus mundus per ipsum salvaretur: venit, ut se mediatorem sisteret pro universo mortalium genere, etiam pro his, qui perseverantis suæ incredulitatis vitio sub Dei electione non continentur, contineri autem sub ea poterant, si non sprevissent æternæ salutis media, per quæ in ipsis etiam Spiritus Sanctus ad perpetuam salutem futurus fuisset efficax. Tertia fabula priori non absumilis est, quod nobis intentat hanc suspicionem, quasi Christum à Patre missum statuamus, ut SÓLOS illos, de quibus nungatur Huberus, paucos illuminaret. At venisse illum asserimus, ut esset lux vera, illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum. Quod autem pauci illuminantur actu, nempe qui credunt in illum, cæteri verò non illuminantur, causa unica est hæc, quia venit lux in hunc mundum, & dilexerunt homines suas tenebras magis, quam lucem. Johan. I. Quarta fabula est calumniæ intermixta, quod hi soli sint, quos Deus præviderit, credituros & perfituros, & idcirco in his, & solis his, ex prædestinatione Dei, efficacia sint media. Quibus verbis impingit nobis, quod vi præscientiæ, & prædestinationis divinæ, ad paucos directè etiam illa salutis media in solis illis paucis suam efficaciam habeant. At nos hactenus publicis etiam scriptis hunc Calvinistarum errorem refutamus, & clara

yoce

voce pronunciamus , nequaquam præscientiam Dei causam esse, quod pauci credunt, sed è contra potius, quia pauci credituri erant, plerique verò spreturi organa fidei, ideo Deus ita præscit. Quisí plures fuissent credituri (sicut, teste Salvatore, plures poterant ad fidem, usu mediorum, per Spiritus Sancti gratiam pervenire) hoc ipsum vidisset Deus, qvem latere nihil potest, atque sic plures etiam salvari constituisset. Est itaqve & hoc calumniosè possum, qvod ex DEi prædestinatione fiat , ut media in paucis tantum sint efficacia. Evidem quod in his, qui audiunt & discunt, efficax est verbum DEi, non negatur ex DEi benefica prædestinatione proficisci: ea verò non absoluta , sed his ipsis mediis ordinata. Qvod autem in reliquis verbum efficax non est, culpa non à DEo , non ab ipsis Prædestinatione dependet, neque ex aliqua illorum præteritione absoluta oritur , sed, Christo attestante, residet in ipsis verbi Divini auditoribus. Hæc libuit potius ex Wittebergensibus ipsis audire , qvænam ad Huberi sibi has aspersas calumnias respondeant, contra falsas & nugaces adversarii adspergines , & criminationes , ut in pluribus suis Disputationibus & scriptis itidem faciunt , qvoties has Huberi calumnias (qvod sæpiissimè fit) à se sic profligant, ut toties ab eo meritò postulent, ut hæc, qvorum illos insimulat , vel uno verbulo ex scriptis eorum tam multis prolati, probet contra eos: Sycophantam igitur magis se profitetur & calumniatorem, qvam verum incusatorem, & virum bonum, cui merito nulla habenda est fides, sed potius extremis dignus judicandus suppliciis.

CAPUT II.

Hic de universali Redemptione totius mundi, seu omnium & singularum hominum, Wittebergenses agunt, qvam Christus passione & morte sua omnibus mortalibus ad salutem æternam promeruit. Et, ut ab omni finistra suspicione Calvinismi se absolvant, testantur, in tota hac prædestinationis doctrina, non se impostorum more aliud generaliter & insidioso ore loqui , aliud autem corde tegere & occultare, sed, ut res poscit, sententiam suam eâ de re tota disertè exponunt: De universali totius mundi Redemptione (inquit Wittebergenses) credimus, docemus & confitemur corde & ore, qvod Iesus Christus DEi filius, non solum pro nonnullis, sed in universum,

G

pro

pro omnibus & singulis simul hominibus fit passus & mortuus, & eo ipso non pro quorundam duntaxat, sed planè omnium hominum peccatis, ipso opere plenissimè, potentissimè & sufficientissimè satisferit, & sic universo humano generi perfectissimam & exundantissimam Redemptionem à peccatis pepererit & acquisiverit, & ejus rei testimoniis Veteris & Novi Testamenti pluribus additis, firma consecutione inde concludunt, Christum pro iis etiam mortuum esse, & morte sua ipsos etiam redemisse, qui in peccatis suis jam perierunt, & omnibus æstatibus & temporibus, usque ad consumationem seculi, pereunt & peribunt. Et simul sic execrantur Calvinianorum furorem, qui præfractè & furiose inficiantur, Christum sustinuisse mortem, & vitam æternam acquisivisse pro pereuntibus, & sanguinem suum pro ipsis liberandis & salvandis effusisse. Et nugantur horribiliter Calviniani in Mompelgardensi colloquio his verbis: Intolerandum in Ecclesia Christi, & non ferendam vocem & Doctrinam esse, si quis doceat, Christum etiam mortuum esse pro damnatis. Tragicè enim Beza exclamat: Obsecro, Christiane Lector, ecquis unquam ante hac in Ecclesia Christiana (*Calviniana dicere debuit*) tam falsum, tam monstrosum, tam abominandum dogma, ausus est tam impudenter in Ecclesiam DEi invehere, ut illud etiam æternæ & immutabilis veritatis appellatione exornet? Et multa crudeliora his dicunt in DEum, cum sic furenter insaniant, ut dictitent: (sicut Calvinus in Institutione de Prædestinatione & Providentia *Sect. 15.*) Prædestinationem vocamus, inquit, æternum DEi decre^{itum}. Quo apud se constitutum habuit, quid de unoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes, sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque, prout in alterum finem quicquid conditus est, ita vel ad vitam, vel ad mortem prædestinatum dicimus; & subdit illico: Dicimus, Dominum æterno ac immutabili consilio semel constituisse, quos olim assumeret in salutem, quos rursum exitio devoveret. Et Sect. 15. Fateor sane in hanc, quia nunc alligati sunt, conditionis miseriavit DEI voluntate decidisse universos filios Adam, atque id est, quod principio dicebam, redeundum tandem semper esse ad solum divinæ voluntatis arbitrium, cuius causa sit in ipso abscondita. Et quis hoc Augiae stabulum Calvinistarum, Boquini, Rennecheri, & reliquorum

quorum Agytarum horum expurget? Quid τύπων κώτερον in DEum quis dixerit hoc Rennecheri? Videlicet reprobationis causa nequaquam in homine quærenda est, sed ejus suprema & prima causa est ipsamet libera & justa voluntas Dei. Et Beza volumine I. p. 417. totus insanit, & furit, ne à Majoribus suis dissidere putetur. Quod subjiciis, inquit, Deum non tantum ad damnationem, sed etiam ad causas damnationis prædestinasse, quoscunque libuerit, verum esse agnoscimus. Et idem dogma propugnat cum Calvino, & aliis suis Præceptoribus Beza tantopere, ne iis inferior & degener videatur. Quibus dum Wittebergenses profligandis, & ad orcum damnandis, manifestissimis scripturæ testimoniis incumbunt, eō in omnibus suis de prædestinatis editis confessionibus, quo ore & conscientia hoc sceleratum & impurum Calvinistarum vel Sacramentorum delirium raucidissimum, D. Huberus amenter & impudenter audet iis tribuere & impingere? Idcirco jure summo se immunes esse ab hoc Calvinistico fermento toties à se damnato, Wittebergenses merito, justè, & verè testantur, cum à redemptione omnium hominum Christi Redemptoris nullum exclusum esse hominem, qui à principio mundi vixerunt, & ad diem novissimum usque victuri sunt, docent contra suos hos sycophantas & impurissimos sacramentarios. Hic nostras Ecclesias, quæ veram & incorruptam Confessionem Augustanam profitentur, & constanter retinent, & li^l Concordiæ firmiter amplectuntur, & Calvinismum abominantur. Ii habent ομοψήφεις & consentientes. Et ad ubiorem veritatis illustrationem, & D. Huberi nærias, & nugas evidenter retundendas, huc demum allegant veram differentiam, toties decantatam, voluntatis antecedentis & consequentis Dei, evidentissimis verbis Wittebergensium. Ad hæc una cum Wittebergensibus consentimus in iis, qui contra impudentem & blasphemam phrasin D. Huberi disputant, qua is usus est thesi Tübingeri 59. scilicet: Christus contulit Redemptionem propriè facto & opere ipso toti generi humano. Quia Christum, omnibus & singulis hominibus, Scriptura affirmat peperisse, acquisivisse, promeritum esse ἀπολύτρωσιν & vitam æternam, verum si ideo ad hunc modum inde nugari, & eosque provehi licitum est, ut afferatur, Christum propriè facto, & ipso opere, toti humani generi contulisse redem-

ptionem, & ideo ad salutem prædestinasse omnes homines, in Christum tam non credentes quam credentes, in scholis Theologicis sincerè & piè docere, nemo hactenus ausus est. Non enim significant hæc verba Huberi, solummodo & propriè loquendo, tantum acquisitionem, seu meritum ipsum, sed verè collationem, donationem, applicationem, fruitionem, perceptionem meriti Christi in omnibus hominibus, quæ omnia verissimè non aliter quam sola fide applicante fiunt in eo, qui Redemptionem per Christum partam fiducia vera consequitur. D. Huberus autem amenter insanit, & contra detonat thesi Tübingeri 270. de omnibus hominibus etiam non credentibus, quod remissionem peccatorum acceperint. Unde ex natura correlatorum palam elucet, quid intelligat impostor voce conferendi, cum inquit: Christus contulit propriè, factò & ipso opere, toti humano generi redemptionem. Ex quibus & similibus lacunis comminiscitur simul universalem omnium hominum coram Deo justificationem, regenerationem & consimilia opinionum impiarum suarum portenta. Unde phrases has non pro indifferentibus & Synonymis, seu iisdem, sed longe differentibus Ecclesia habet; scilicet Christus toti humano generi proprie, ipso facto & opere Redemptionem ab æterna morte sua acquisivit & peperit: Quam tota Ecclesia obviis ulnis, & toto pectore, summo cum gaudio libenter fide recepit, ut toti scripturæ conformem & orthodoxam. Sin verò quis inde somniet, ut Huber⁹ malè sanus facit, & contendat, quod Christ⁹ redēptionem universo humano generi contulerit, sic ut totum humanum gen⁹ inde redēptionem peccatorum, & *victoriam* coram Deo, etiamsi non credat, tamen acceperit, adeptum & consecutum sit, simpliciter id toto corde & ore omnes cum universa Ecclesia vera, quæ Formulam Concordiæ & Evangelium Christi amplectitur, pernegamus & damnamus. Et sic sentientes, quæso, quis non impii Huberiani dogmatis reos pronunciet? Num igitur nos, hoc negando, cum Calvinismo quidquam commune habeamus? quod Hubero in fauibus semper hæret; siquidem vox conferre redēptionem propriè & univocè in Evangelii doctrina significat, universo humano generi, & singulis hominibus *κατ' εκάστον* largiri, donare, imputare, obsignare, applicare eam, sive propriam facere, quod nullis, teste Evangelio, contingit, nisi solis illis, qui fidem

fidem in Christum habent, sicut nec redemptio nec liberatio à morte æterna & remissio peccatorum, nullo alio organo ab homine accipitur, nisi sola fide. Quomodo igitur evincet D. Huberus, Christum universo humano generi non solum acquisivisse redemptionem æternam, sed simul etiam contulisse, ut eam omnes & singuli homines verè acceperint & adepti sint? Omnes igitur homines vera fide in Christum per se aut natura præditos, aut fidem omnium hominum esse, dixerit Huberus, etiam impœnitentium, qvod impium portentum pius Lector probè observet. Quod vero Huberus ineptus argutator malitiosè, & sine ulla causa Wittebergensibus crimen & sententiam sufficientiæ scholasticæ meriti Christi objicit: rectè respondisse ad hanc criminationem pravæ sententiæ à se amoliendam Wittebergenses, & verbo DEi eum, ejusq; clumbes & evanidas nugas à se amolitos esse testantur, dum ipsam scholasticorum sententiam de sufficientia meriti Christi, quam tradunt, candidè & rectè ex ipsorum verbis declarant, quid hoc dogmate scholastici de sufficientiâ passionis Christi, & de redemptione omnium hominum velint. Hac distinctione sufficientiæ & efficaciæ hoc scholastici tantum volunt, ut ipsi testantur etiam Calvinistæ suis interspersis nugis & figmentis, ad hunc modum, qvod passio & mors filii DEi sufficiens esset expiandis totius mundi cunctorumque mortalium peccatis, si voluisset Deus filium suum pro cunctis singulisque hominibus pati ac mori. Quia verò hoc consilio & voluntate Deus non miserit filium suum, ut omnium peccata expiaret, (qvod contra scripturam addunt) ideo neque mortuum filium nugantur, pro peccatis omnium sufficienter expiandis. Neq; hanc esse veram scholasticorum sententiam, Calvinistæ omnes inficias iverint, ut Beza Heidelbergenses, & Calviniani Palatinatus, & Helvetiæ totius. Beza enim sic inquit de illa phrasí (Christus mortuus est pro omnibus hominibus sufficienter, non effienter) *ἀκυρολογία* esse videtur, sive consilium DEi', sive passionis effectum, sive utrumque spectaveris: Pro impiis nullo modo est mortuus. Alibi inquit: fatemur, tanti esse hanc oblationem, ut potuerit pro infinitis mundis (si tot essent) satisfacere, nedum pro singulis hominibus unius mundi, si Deus eorum omnium voluisset misereri, & pro omnibus Filium misisset. Hæc Beza per suum Spiritum sanctum, & insaniam. Una igitur omnium Calvinistarum vox, & sententia lo-

corum omnium est, si eos sigillatim interroges: Vel itne Deus omnium hominum misereri? omnes idem negant. Hinc igitur ad hunc modum argumentantur Calvinistæ omnes, satis fecisset oblationis Christi pro omnibus & singulis totius mundi hominibus, si Deus voluisset omnium misereri, & ex hac misericordia pro omnibus mittere Filium. Major hæc est Beza. Addo jam minorem, quæ communis est itidem Calvinistarum omnium: Non autem vult Deus omnium & singulorum hominum misereri. Inde Conclusio per se ultrò sequitur omnium Calvinistarum. Ergo neque omnibus neque singulis hominibus redimendis Deus misit Filium. Et per consequens inde concludit & infert Beza & omnes complices ejus. Ergo ἀκυρολογία est, si quis dicat, Christum mortuum esse pro omnibus hominibus totius mundi sufficienter. Rationem addit Beza: Sive enim consilium Dei species, sive passionis effectum, sive utrumque, pro impiis Christus nullo modo est mortuus. Hoc se modo sententiam dicti scholastici intelligere, Calvinistæ prolixè testantur, & veram ejus sententiam ἀκυρολογίας nomine simpliciter damnant. Qua igitur fronte Wittebergenses, & qui cum eis faciunt, impi & furiosi Calviniani dogmatis de Prædestinatione eos fecerit Huberus? Etsi igitur Christus non minus pro damnatis ut pro Caino, Juda, Achas, Pilato &c. & aliorum damnatorum peccatis passus, crucifixus & mortuus sit, & pro eorum culpa & peccatis tam satisfecerit, & ea expiarit sufficientissimè, quam pro omnium beatorum peccatis, culpa & reatu, ut Adami, Abrahami, Petri, Pauli &c. Non tamen hoc impi & pereuntibus quicquam prodest ad salutem: causa est invictissima & firmissima. Quia eam Christi satisfactionem, & peccatorum suorum expiationem, damnati & pereuntes sibi fide sua non applicarunt, nec propriam fecerunt, sed spreverunt infidelitate sua. Et sic phrasis illa scholasticorum utrumque diserte simul docet. Quid igitur Huberus hic habet, quod reprehendat, tamque tragicè insectatur in hac phrasí scholasticorum, qua Wittebergenses & alii in nostris Ecclesiis propriè & salutariter usi sunt in vero sensu, ad ædificationem, & porrò cum scholasticis utiliter & orthodoxè usurpare possunt? Sufficiens est pro omnibus & singulis hominibus quoad Christum mediatoris & Redemptoris satisfactio. Non autem est in omnibus hominibus efficax & falu-

salutifera ob eorum infidelitatem, quod fide eam sibi non vendi-
cant, propriam faciunt & applicant. Id nostræ Ecclesiæ fides &
confessio ad hunc modum publice semper testata est, videlicet
Christo propositum fuisse pro omnibus, seu toto mundo, sine omni
exceptione mortem sustinere, culpam & reatum tollere, atque
ita pro reprobis atque pereuntibus omnibus quoque sufficien-
tissime satisfacere. Rom. XIV. 2. Pet. II. Non igitur contra scri-
pturam, sed cum ea sentiunt & docent, qui ita distinctè docent, Chri-
stum pro reprobis & pereuntibus sufficientissimè quidem satisfe-
cisse, & omnes ab interitus redemisse homines, sed non efficaciter,
dummodo causa interitus & perditionis eorum in ipsis statuatur,
non autem in Christo, eaque sola causa sit incredulitas in Chri-
stum, qua reprobis & pereuntibus Christi satisfactio & tota redem-
ptio, meritumque vitæ æternæ, incredulitate eorum, respuitur, &
fide in eum non ab illis apprehenditur & applicatur, teste Chri-
sto Joh. III. Qui credit in eum, non judicatur, qui autem non cre-
dit, jam judicatus est, quia non credit in nomen unigeniti filii Dei.
Non igitur ita necessario connexæ sunt, sufficiens Christi satisfactio
seu redemptio & ejus efficacia, ut cui tribuitur satisfactio, eidem tri-
buenda sit etiam sine fide ejus efficacia, aut cui negatur vel detra-
hitur ejus efficacia, eidem satisfactionis profectus, ut testantur cum
Verbo Dei omnes, qui cum Augustana Confessione & Formula Con-
cordiae faciunt. Et si Judas non fruitur meritis Christi jurè & verè
per incredulitatem suam in Christum, vis & satisfactio Christi pro e-
jus peccatis tamen ideo non imperficitur, aut infringitur. Frivo-
lum igitur plane est, quod Huberus ex omnium hominum redem-
ptione perfectissime per Christum præstata, universalem electionem
& ordinationem totius humani generis, & singulorum hominum
ad salutem & vitam æternam sine fide conatur concludere & sta-
tuere, sicut infantiliter & inscitè cum sui omnium irrisione apud
nos auditus est & statuit. Quam sycophantiam ejus Wittebergen-
ses piè & nervosè refellunt. Prædestinatio enim ad salutem est so-
lum eorum, qui in Christum credunt, & non aliorum, nec ullo abso-
luto decreto quenquam hominem ex præconcepto quodam singu-
lari odio, & invidentia vel immisericordia Dei implacabili, à sui ele-
ctione ad vitam æternam, exclusum esse vult Deus, sed tantum ob so-

Iam

Iam incredulitatēm finalem, qua meritum mortis Christi salutiferum, hoc consilio, ordinatione & voluntate Dei in genere, seu universaliter omnibus acquisitum, & voce Evangelii propositum & oblatum, qvi sprevit, & à se sine fide rejicit in vitā, & qvæ præterea in hanc sententiam Huberi affaniis, eodem loco, solide opponuntur. Et ut in pauca redigamus, qvæ de toto hoc Prædestinationis certamine fusissimè multis verbis, à Theologis Wittebergensibus, ad refellenda somnia, ineptias, & conficta mendacia Huberi dicuntur. Wittebergenses immoti verbi divini fundamentis irrefutabilibus, invictis, & firmis nituntur, constanter cum iis affirmamus, hactenus in Ecclesiis nostris, semper ad eundem planè modum ea à nobis esse tradita, nec unquam in dubium à quoquam hæc vocata esse, è verbo DEI admonitum D. Huberum, ut sunt, quæ Wittebergenses de absoluto decreto Calviniano, subinde ab adversario præbita causa inculcant, ut quæ de eo crebrò repetuntur, Deum clementi consilio, & ea voluntate sua misisse filium, ut pro peccatis omnium hominum passus & mortuus sit, etiam eorum, quos ab æterno præsciverit, nullo unquam tempore in Christum credituros esse, qua ipsa re Deus ex imensa sua & inexhausta misericordia summa, in redimendo toto humano genere præsttit, & effecit, ne quid ab ipso prætermittetur, vel minimum quiddam, quod omnium hominum salutis reparandæ necessarium esset & opus. Et ita tempore mortis suæ etiam satisfecerit pro peccatis omnium eorum, qui ab ipso mundi exordio in inferno hactenus arserunt & ardebunt, ut Cain & consimiles, qui, si tempore gratiæ, quo vixerunt, meritum mortis Christi fide amplexi fuissent, quod Deus, per Ministerium verbi sui dati, nemini unquam denegavit, nulla re factum fuisset, ut ab Electione & æterna ordinatione ad vitam æternam exclusi essent. Nullum enim decretum Dei absolutum, & crudele ejusmodi è verbo DEI novimus, nec docemus, nec discimus, quo quisquam hominum, nisi propter prævisam ab æterno solam incredulitatem suam finalem unquam à prædestinatione & ordinatione Dei ad vitam æternam excidat, & exclusus sit: Et anathema dicimus omni contrarium docenti, aut contradicenti, etiamsi angelus sit. Et cujusmodi est, qvæso, quod Huberus falso comminiscitur, à Wittebergensibus, universali generis humani Redemptioni, contradici & ab iis contendi, DEum non omnibus ho-

hominibus, seu toti mundo Filium suum dedisse Redemptorem, nec eos omnes unquam ad vitam admissurum fuisse, ut eō filius DEi eos perduceret, & hoc omnibus hominibus promereretur. Nec docent Wittebergenses, neque unquam inquam Ecclesiæ nostræ, DEum ad vitam vel pœnitentiam reducere non velle eos, qui ab electione unquam exciderunt, & eradicii seu excisi fuerunt ob incredulitatem vel impœnitentiam suam, quam blasphemiam Jeremias capite 3. in desertrice muliere mariti sui describit, & exemplo Galatarum & Corinthiorum, & historia Acolasti Luc. XV. & adolescentis è latronum sodalitio per Johannem Apostolum revocati ad pœnitentiam, de quo Eusebius Lib. III. Cap. 20. historiæ Ecclesiasticæ meminit, refelli constat. De iis omnibus igitur, quæ toto secundo capite Wittebergenses confitentur, & contra Huberum disputant, verissima esse toto pectore testamur & amplectimur, & per DEi gratiam in sententia hac cum Wittebergensibus perstabimus immoti, donec ad tribunal filii DEi sistemur, & gloriæ perpetuam coronam reportabimus. Quid dici à nobis hic poterit disertius, & cum testificatione religiosiore, & asseveratione manifestiore cum scriptura divina, & puriore antiquitate Ecclesiæ veteris?

CAPUT. III.

QVæ hoc capite ex Verbo DEi, & Ecclesiarum nostrarum publica confessione Libri concordiae traduntur, quo scripto Ecclesiæ, quæ incorruptam Augustanam Confessionem profitentur, mature perniciosis de Prædestinatione salvandorum contentionibus & certaminibus (nam exitiosa & funesta certamina partim jam tum in quibusdam locis periculose mota erant, partim apud nonnullos gliscebant, & ostendere se occuperant) isto tempore viam præcluderent, ne in Ecclesiis nostris Concordia & docentium consensus in doctrinâ hac necessaria scinderetur, sed sartus tectus retineretur: Ea omnia nos corde & sincero animo coram DEo & Ecclesia fatemur, amplecti, & Huberiana deliria opposita, toto pectore detestari & damnare. Et gratiarum actionem ab omnibus, veritatem in hac doctrina retinere cupientibus, Wittebergensibus deberi testamur, pro tam accuratè, cum in toto hoc libro, tum in hoc capite tertio, repetita doctrina & addita distinctione & declaratione voluntatis DEi antecedentis &

H

con-

consequentis ex dialogo Damasceni, (de qua paulò ante diximus) quæ totum hoc funestum Huberianum commentum de Prædestinatione universali & electione omnium hominum, sive credentium in Christum, sive non credentium, ad vitam æternam, oppugnant: Velle nimirum DEum, qvoad antecedentem seu universalem, clementem & misericordem, voluntatem & dilectionem totius mundi suamque φιλαγγεωται incomprehensibilem, omnes homines per Christum salvos fieri, si modo in Salvatorem omnes credant, & sic per fidem in Christum, & non sine fide in eum salute fruantur. Verum, quia Deum per omnipotentem & omnisciam prævisionem suam, ab æterno non latuit, nec obscurum fuit unquam, sed notum is sibi, & probe perspicuumque habuit, quod omnes homines, tempore gratiæ, quo victuri essent, in Christum crediti non essent, sed plurimos & maximam eorum partem per incredulitatem, salutem æternam, per Christum iis morte & obedientia sua partam, & ministerio Evangelii & sacramentorum oblatam & propositam, abjecturos & neglecturos esse; Ideo determinavit & fecit Deus decretum de æterna electione, seu prædestinatione salvandorum, & reprobatione per euntium in voluntate sua consequente, sic, ut qui in tempore gratiæ, verè & ipso actu, autre ipsa sint in Christum crediti, hos eosdem ipso actu salvatum iri. De omnibus verò incredulis, qui finaliter & perseveranter in Christum crediti non essent, hos omnes propter eam incrudelitatem suam, perpetuo damnatum iri. Utraq; ea decreta diligenter & distincta, abscondita & latentia, Christus è sinu Patris ab æterno protulit, & nobis manifesto suo verbo revelavit hisce & similibus verbis, Joh. III. Qui credit in filium, non judicatur: qui verò non crediderit, jam judicatus est, quia non credit in nomen unigeniti filii Dei. Ubi utramque hanc voluntatem antecedentem & consequentem conjungit. Ac postquam locutus est de voluntate sua antecedente, seu misericorde erga omnium hominum salutem, nimirum quod Deus mundum dilexerit, ut filium suum unigenitum pro ipso redimendo dederit, eumque miserit, non ut mundus per eum judicetur aut damnetur, sed ut mundus per eum salvetur. Et sic declarata & explicata voluntate hac misericordie Dei antecedente generali de salute omnium hominum, subjicit

Exem-

-0007

Exemplo, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, quo proprie expressit decretum æternæ electionis & ordinationis Dei, & cum ea simul comprehendit & includit fidem in Christum. Hæc autem, quæ post sequuntur: qui verò non crediderit, jam judicatus est, consequentem Dei voluntatem continent, videlicet, qui à salute in Christo reprobandi sint, non ulla Dei efficaci voluntate, sed eorum propria, ut Hoseæ.13. scriptum est: perditio tua est Israël, tantummodo in me auxilium tuum. Quæ omnia potissimum partē Disputationis, & controversiæ Huberianæ, evertunt & solvunt, ut & ea, quæ post hæc de Libro Concordiæ porro seqvuntur. Reprobamus igitur cum Wittebergensibus sententiam Huberi de electione ad vitam æternam tam non credentium in Christum, quam credentium in Redemptorem. Et simul quod somniat Huberus, Deum in æterno decreto prædestinationis nullam habuisse rationem fidei in Christum in prædestinatis, qvæ non est ab æterno, sed tantum tempore gratiæ inest in corde hominis, ut qvæ verbo Evangelii, virtute Spiritus Sancti, accenditur. Et evidētia veritatis constringimur, ne in seqventibus à Wittebergensibus vel latum pilum discrepemus in hoc toto argumento prædestinationis, nec quicquam nobis commune esse cum Hubero, in ipsius universali Prædestinatione omnium indiscriminatim hominum ad salutem, sive credant in Christum, vel nunquam sint in eum credituri. Nec vel nauci æstimamus, quicquid magno hiatu mundo imperito persuadere sine evidētia verbi divini ea de re Huberus cum suis asseclis studet. Et sincerè amplectimur Testimonia Wittebergensium, qvibus è scriptura comprobant & confirmant, solos in Christum credentes à DEo ad vitam æternam electos esse, & qvæ de dicto Christi edifferunt: Multi sunt vocati, pauci verò electi. Nec somniis Huberi de discriminē εκλεκτῶν καὶ εκλεγμένων commentatio & novo, hactenus in Ecclesia ignorato, moveatur. Et simul pede proterimus, qvod de Judæ proditoris electione ad salutem fingit, nomen ejus in cœlo adscriptum esse, qvod commentum Huberi solum dignum esset, nisi ad mentem saniorem redierit, gravissimo supplicio divino. Indissolubilem & indivulsam Pauli catenam Rom. 8. in hac doctrina integrum retinemus cum Formula Concordiæ, quam Wittebergenses hoc loco Huberi figmentis crebro opponunt. Et simul locum Eph. I. Apostoli Pauli firmiter

H 2

oppo-

Opponimus ei, juxta piam interpretationem Libri Concordiae, & compendii ejus. Et quibus illae descriptiones & notae non conveniunt, quibus Apostolus Paulus electos describit, hos falso pro prædestinatis haberi pronuntiamus. Et quæ hic nos sentire & amplecti testamur, ea de omnibus illis quoque intelligi volumus, quæ ad condemnationes furorum & errorum, vel potius hæreseos Huberi, dicuntur p. 114. & sqq. de hæresibus Calvinistarum. Post quæ in Hubero, nominatim & multis verbis prolixè ad finem totius Wittebergensium Scripti usque titulis numerorum 14. damnantur, meritò obelisco notanda esse, & ab Ecclesiâ explodenda, judicamus, & fugienda esse omnibus, qui à Calvinismo immunes esse volunt, & Ecclesiæ DEi & conscientiæ suæ satisfacere, inter quos & nomen nostrum, cum Wittebergensibus, læti & ultrò profitemur. Et quæ in Hubero de Prædestinatione, Electione seu Ordinatione DEi ad vitam æternam, à Wittebergensibus è solidis Verbi DEi fundamentis reprobantur, & pro Falsis & impiis redarguuntur, in quinque subsequentibus capitibus, non ferenda esse in Christi Ecclesia dogmata, sed abominanda simpliciter coram DEo, testamur. Et quis quæso, cui Catholica doctrina, in Ecclesiâ Christi, vel per transennam tantum à longè aspecta & cognita fuerit, in Hubero non detestetur, & abominetur cum Wittebergensibus, quod delirat, totum genus humanum, seu omnes homines adultos, (de infantibus enim id intelligi non potest, in quos hypocrisis per ætatem incidere nondum valet) in baptismo justificari, seu remissionem peccatorum accipere, quæ eis ibi conferatur & donetur in baptismo, etiamsi nunquam vera fide sicut in Christum, sed meri hypocritæ, & id hoc elumbi testimonio, aliis impudenter persuadere conatur, quod Apostoli hac de causa, omnes baptizatos tam incredulos, quam credulos in Evangelio denominant justificatos, quos Deus gratia sua complexus sit. Videatur igitur, quantum inter doctrinam & fidem Huberi intersit, & Judæi illius veteratoris toties baptizati, qua impostura tantummodo sibi collegit pecunias à Christianis, cujus meminit in Ecclesiastica Historia sua Socrates Lib. 7. cap. 17. Nostræ Ecclesiæ ante hæc tempora semper è verbo Dei docuerunt, sacramenta sine fide nihil cuiquam prodesse, justificationem seu remissionem peccatorum, non nisi fide à solis credentibus accipi, nequaquam verò ab omni mundo universali-

versaliter, seu tam ab omnibus baptizatis, non credentibus & hypocritis, quam credentibus. Qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, inquit Christus. Quia enim Deus omnibus & singulis hunc sui meriti thesaurum seu promissionem remissionis gratiae in baptismo offert & exhibet, eum à baptizatis vult accipi, quod non nisi sola fide fit, non absq; fide. Apologia Confessionis Augustana docet, quod in usu sacramentorum semper fides debeat accedere, quæ credat promissionibus, & accipiat res promissas, quæ ibi in sacramento offeruntur, & est ratio plana & firmissima, promissio est inutilis, nisi fide accipiatur. At sacramenta sunt signa promissionū. Igitur in usu debet accedere fides, ut, si quis utatur Cœna Domini, sic ea utatur fide quadā. Quia per id Sacramenum Novi Testam. ut Christus clarè vocat, ideo statuat, sibi offerri res in hoc Novo Test. scilicet Remissionem peccatorum, & hanc rem fide accipiat, erigat pavidam conscientiam, & sentiat hæc testimonia non fallacia, sed tam certa, quam si Deus novo miraculo de cœlo promitteret, se velle ignoscere. Quæ portenta igitur & blasphemata dogmata in Ecclesiam Christi Huberus inventa de hypocitarum baptismo & regeneratione, quis approbabit?

DE BAPTISMO.

Eiusdem farinæ est, quod Huberus impudenter & insolenter fingit, inter substantiam baptismi, & ejus effectum seu regenerationem, videlicet, quæ in baptismo per Spiritum Sanctum fit, nihil interesse. Quid contra veritatem Baptismi inscius, & rudius quisquam impius Tiro dixerit? Cum Catechismus de tota Scriptura passim manifestam differentiam tradat substantiæ baptismi, & regenerationis seu effectus ipsius, & regenerationem perspicuè appellitet operationem & effectum vel fructum baptismi. Sic enim hactenus Catechismus Ecclesiæ docet: Quid efficit, aut operatur baptismus? Et Apostolus utrumque effectum baptismo tribuit, esse lavacrum regenerationis & renovationis. Et utrumque fit in baptismo, vel per baptismum à Spiritu Sancto, Regeneratio & Renovatio, nec Regenerationem aut renovationem Apostolus ipsum baptismum definit, sed operationem vel effectum ejus. Et quid aliud ex absurdissimo dogmate prædestinationis universalis omnium hominum, credentium & non credentium, ad vitam æternam, quæso fabricet Huberus, quam universalem omnium eorundem

justificationem & regenerationem , quantumvis hypocritarum' in Baptismo, fieri, licet infidelium? Qvapropter et si haud gravatim concedamus, Baptismum credentibus & non credentibus seu hypocritis pariter communem & eundem esse Baptismum, & iis exæquo & pariter gratiam regenerationis & renovationis omnibus , quicunque baptizantur, offerri in Baptismo liberalissimè & præsentissimè à DEo, tamen re ipsa illam infidelibus, & hypocritis actu æqualiter conferri, donari, applicari , propriam fieri, obsignari & ab ipsis percipi in Baptismo , coram DEo & tota Ecclesia perspicuè pernegamus, & id fieri non vitio Baptismi, vel culpa DEi dicimus , sed tantum solius hominis hypocritæ, & increduli, sine fide Baptismum suscipientis, vitio & culpa, ut jam diximus. Sicut Evangelium verissimè semper potentia DEi est ad salutem, non autem promiscuè , aut absolutè cuivis audienti illud & hypocritis, sed omni tantum credenti : Et non absolutè & sine discrimine Baptismus operatur Regenerationem in qvolibet etiam hypocrita & incredulis, sed tantum in solis credentibus, seu fidem affarentibus, quam Deus in eo in baptizandis operatur. Sic præterea quæ hoc loco in Hubero à Wittenbergensibus damnantur , semper in Ecclesiâ Christi, ut falsissima & abominabilia sunt habita, etiam è primis elementis Catechismi. Meritò igitur in sacro deposito doctrinæ cœlestis religiosè conservando, & in Ecclesia, & posteritati incorruptè tradendo, omni conatu & studio opera danda est, ne in corruptelis doctrinæ damnandis à nemine cœcutiatur & conniveatur , etiamsi vel angelus de cœlo autor pravæ doctrinæ fuerit. Maledictus igitur omnis, cum Hubero quoque, qui voci DEi adeò superbè, perfractè & pertinaciter contradicit, ut nec calumniis in divinam veritatem abstineat, aut qui similes δογματικὰς sciens & volens admiserit. Simul enim, atque scorpius apparuerit, conterendus est, inquit Hieronymus, etiamsi pater aut mater fuerit.

Hæc de dogmate Huberi, è Verbo DEi & perpetuis Confessionibus nostris , scriptisque Lutheri , & Formula Concordiæ respondere voluimus. Et DEum oramus, ut virus omne Huberi, & similiū deleat, & Ecclesias, quæ Augustanam Confessionem veram & genuinam fideliter contra omnes hæreses vetustas & recentes nostro tempore amplectuntur, & constanter profitentur, propter gloriam sancti nominis sui, in veritate conservet & tueatur:

Et

Et Huberianam hanc hæresin, & deliria, à nobis clementer avertat, ne Ecclesiæ nostræ eis implicitentur, quibus sycophanta & ludio, non veretur asseverare, nec phrasî nec re conforme esse verbo Dei, si quis dicat: DEum ad vitam æternam tantum elegisse credentes: Sed convertat & in viam veritatis eum reducat, ab horrendo suo, monstroso & impio hoc dogmate, ut salvetur, nec in his crassissimis furoribus ad finem perseverare, aut in æternum perire, Deus eum sinat, aut si præfractè impiâ sua hæc dogmata α·μΦαγαπάν
perrexerit, in eum exemplum justæ iræ suæ quamprimum toti mundo statuat, quo alii, qui studio ducuntur pari contra Formulam Concordiæ, serio terrore perculti, veritatem verbo Dei patefactam, studiosius posteritati illibatam & incorruptam relinquere conentur. Et ab hoc periculo immunis fuisset Huberus, si in doctrina Verbi Dei, scriptis Lutheri, Formulaque Concordiæ perstitisset, cui & subscripsit, & assensus fuit in Ecclesiis Wittebergensibus, & ad eam Wittebergæ insuper juramento religioso perfidè se publicè astrinxit, cum gradum Doctoris Theologiæ ibi perjurè & perfidè sumeret: Hæc ei precamur, quamquam parum spei sit, D. hunc Huberum sanabilem, & meliora monentibus sic fore dicto audientem, ut ab inveterata & pertinaci hac sua hæresi, verbo Dei & Formula Concordiæ repugnante, & exitiosa Ecclesiæ resipiscat, & ad mentem saniori unquam redeat, cum jam toties Ecclesiæ verba malitiose dederit, simulando consensum firmissimum de tota doctrina hac, cum Wittebergensibus & aliis, & subscribendo quoque Formulae Concordiæ, cum Wittebergæ gradum Doctoris Theologiæ susciperet, quo ipso ad eandem, ut diximus, in publica cathedra, solenni jurejurando perjurè in maxima eruditissimorum Virorum corona & numero se prudens & sciens astrinxit. De Regeneratione autem Huberus, in solenni conventu præstantissimorum Virorum, qui institutus fuit Wittebergæ, jussu, authoritate & voluntate Illustrissimi Principis, Administratoris Saxoniæ, Dni. Friderici Wilhelmi, à Theologis & Politicis, ut D. Huberus sic in viam veritatis ab hæresi reduceretur, è Verbo DEi & Formula Concordiæ fideliter monitus, verum plusculis diebus, huic rei frustrâ per ipsius pertinaciam superbam tributis, in agnoscenda generalis prædestinationis omnium ad salutem & vitam æternam, credentium & incredulorum, vanitate &

im-

impiaitate sua, pertinacissimè persttit, nec veritati verbi divini locum dedit, nec salutaria monentibus cessit. Et licet de regeneratione vel ~~παλιγγενεσίᾳ~~, quæ fit in baptismo, hanc sententiam & confessionem se amplecti, Commissariis Illustrissimi Administratoris Saxonie, manu sua descriptam, exhibuerit, quæ tunc recepta quidem spe bona ab eo fuit. Nimirum hypocritæ usum & fructum baptismi, qui est regeneratio & renovatio, non consequuntur, licet baptismus nuda aqua non sit, sed lavacrum aquæ in verbo. Unde apparet toti Ecclesiæ, illo ipso testante, quod regeneratio sit usus, fructus & effectus Baptismi, non substantia ejus, qvapropter notorii hypocritæ hujus non fiant participes. Et de generali justificatione omnium hominum fidelium & infidelium, seu credentium in Christum, seu non credentium in eum, eodem anno 94. in arce Wittebergensi testatus est, hanc suam unicam & perpetuam confessionem esse, videlicet : Credo etiam hanc Redemptionem ac justificationem nemini concedi, nisi eam fide sibi applicet. Est itaque inter opus Redemptionis & Justificationis accurate distinguendum. Hæc sunt verba Huberi. Tamen, quam nunc hoc tempore de his capitibus doctrinæ sententiam, non tantum animo foveat, sed subinde recudat, & novis chartis passim sine fide spargat, palam constat. Quapropter, lubricitate hâc & vanitate sua toties repetita, nihil amplius meretur, quam ut etiam juranti, vel manu sua scribenti, ut vecordi & mendaci Spiritui, nemo sanus fidem habeat, sed potius Dei judicio severo ipsum commendet. Non itaque nisi fumos vendit, in rebus fidei, non fecus ut alter Thurinus Verronius, sive loquens, sive scribens, sive jurans etiā Huberus. Intelligit igitur facillime quivis bonus & Deū timens, cane pejus & angue eum fugiendum, & nulla fide & alloquo dignum æstimandum esse. Et Huberus cum suis documento erit necessario & gravi, ne temerè aut facile superbè jactabundis & de se prolixè glorabundis, partes docendi, in Ecclesia & Schola temerè committantur, quod vitium jam plurimis in locis invalescit, & dominatur, summo Ecclesiæ corruituræ cum periculo. Deus igitur sine mora perdat eos, qui, hoc seculo novissimo, & tristissimo, Ecclesiæ quietem pravis dogmatibus & strophis turbant, & veritatem doctrinæ cœlestis speciosis artificiis & artibus sinoniis depravant.

Hæc

Hæc de Huberianâ: hæresi rogati & Amplissimi Senat⁹ nostri man-
dato & voluntate, coram Deo & Ecclesia, sine verborum ulla circui-
tione, ingenuè & verè testari voluimus. Et hanc confessionem no-
stram verbo Dei conformem, & scriptis Lutheri, Formulae Con-
cordiæ, nostræ Confessionis symbolo recepto, per omnia congruen-
tem, læti ad tribunal Salvatoris nostri JESU CHRISTI veri judicis
notissimi afferre die judicii postremi non reformidamus. Et non
dubitamus, hinc, liquidiss. utrumque caput perspici, sine fronte pra-
vi dogmatis ab Hubero damnari, quæ de prædestinatione filiorum
DEI æterna, à Wittebergensibus juxta verbum DEI, & Formulae
Concordiæ traduntur, contra ejus nova portenta & somnia, Scri-
pturæ sacræ omnibus destituta fundamentis. Et simul oleum & operā
omnem illum perdere, & toto cœlo turpiter deerrare, quod impro-
be studet Wittebergensibus imputare, ut qui Calvinistarum doctri-
nam de prædestinatione æterna salvandorum profiteantur, quod
clarè & planè nostro testimonio, disertè & non obscurè, testificari
voluimus.

Et non dubitamus pios, & omnes veritatis cœlestis amantes tot
Ecclesiarum sincerarum judiciis motos, affanias & aniles fabulas, &
inauditas Huberi *Φλυαρίας* de prædestinatione ad salutem univer-
sali omnium hominum, credentium & non credentium, cum aliis
ejus sordidis & blasphemis commentis, nulla parte admissuros aut
approbaturos, sed ex Ecclesia Dei explosuros esse, quæ veritatis co-
lumna est: Nec fore quempiam existimamus, qui in gratiam extor-
ris hujus sycophantæ, & ex Ecclesia Christi vera Saxoniam proscri-
pti Huberi, dulcissimum illum & suavem consensum docentium in
Ecclesia Christi, qui in Formula Concordiæ comprehensus est, sint
rupturi & deserturi, prælatis hisce Huberianis, insanis & putidis vani-
tatibus. Deus clementer largiatur nobis, quibus thesaurus doctrinæ
Ecclesiæ incorruptus commendatus est, ut propagatione & conser-
vatione fideli ejus depositi simus unum, sentiamus & doceamus
constanter, unum, juxta ardentissimas Christi preces Joh. 17. nec si-
namus agrum Ecclesiæ Dei loliis, & pernitiosissimarum corruptela-
rum D. Huberi, aut impiorum illorum dogmatum, hæresibus &
Zizaniis, connivendo & stertendo, oppleri & infici, Amen !

Liceat verò huic Scripto erudito, eiique Apologetico, ea nunc subjungere, quæ A. 1596. in Schola hac Lubecensi à præclarissimo istius Rectore & Doctore Theologo, Ottone Gualperio, adversus Huberianismum fuerunt notata, & peculiari Dissertatione exposita. Scilicet instituerat laudatus Vir ad Scholasticam Juventutem Lubecensem Commonenfactionem de Articulo Electionis seu Prædestinationis ad Vitam eternam, in quâ tūm Causas Electionis exposuerat, & modum atque usum ejus adversus Calvinianos monstraverat, tūm Controversiam illam, inter clarissimos Viros, Dn. Theologos Wittebergenses, & D. Samuelem Huberum ortam, disceptaverat excusseratque. Cum autem hæc, cum reliquis ejus scriptis, (*) in paucorum jam vers-

(*) Scripta quædam, à D. Gualperio elucubrata, adduxi in supra nominata Concione mea Scholastica, Lub. A. 1703. recitata, p. 36. sq. Edidit autem præterea A. 1595. Dissertationem, de Incarnatione Filij DEI, in qua repetitur Doctrina de Unione Hypostaticaduarum Naturarum in Christo, & inde dependente ac consequente reali Idiomati Communicatione, quemadmodum illa in sickerioribus Ecclesiis & Scholis Saxoniciis publicè solet proponi (plag. 5.) In Epistola Dedicatoria compellat Amplissimum Imperialis Lubecæ Senatum, eiique rationes instituti decenter exponit: Cum hoc tempore pro more Ecclesia Christiana, de hoc ipso adorando Incarnationis mysterio, publicè agendum atq. tractandum esset; & verò in Scholis quoq. benè constitutis laudabilem hunc morem observatum esse recordarer, ut orationibus quibusdam moderatores illarum, doctrinam eandem, qua publicè in Ecclesia sonaret, repeterent, suæ fidei commissari videnti inculcarent, hac ratione consensum suum & suu φωνιαν scabissimam attestarentur; ego quoq. officio meo hac in parte deesse nolui. Vestrus igitur Amplitudinibus atque Excell. Dissertat. hanc qualitercumq. de Incarnatione Filij DEI, paucis abhinc diebus in Gymnasio nostro publicè à me institutam, inscribere ac dedicare volui, partim, ut intelligeretis, me non pravam aliquam & singularem de hoc mysterio opinionem, aut etiam à publica Saxoniarum Ecclesiarum Confessione diversam alere, sed eandem tenere ac propugnare, quam in pia Concordia formulare repetita, & à Variis hereticorum Strophæ perspicue distincta extat; partim, ut cognosceretur, me in Officio mihi demandato, non segniter aut oscitantur versari, sed pro versili spartam, quam imposuisti, diligenter fideliterq. ornare. A. 1596. supra adducta Commonenfaction, cuius Epitomen hic exhibeo, prodiit. (plag. 6.) A. 1606. publicavit Piam & Christianam Commonenfactionem de Sacro-Santa Domini nostri JESU Christi Cenâ, in qua stylo simplici nec sentur ordine causæ ejus: Efficiens, Materialis, Formalis, Finalis, simulq. adversariorum Strophæ deteguntur & refutantur, ad pubem Scholasticam in inclusa Lubeca recitatam. Inscriptis eandem Triadi Presbyterorum Lubecensem, eum scilicet in finem, ut ostenderet, illos nullis suffolkos esse rationibus, qui dicunt, quod Calvinianorum accedat partibus, hinc vocat se

invit-

versetur manibus, rem haud ingratam me, *Acta Huberiana, Lubecæ olim collecta, nunc publicantem, facturum esse censui, si nonnulla ex eadem, (integram enim dare animus non est) excerpsero, atque Censuræ Rev. Ministerij adjecero.* Ex his enim unusqvisque colligere poterit, tum in Ecclesia, tum in Schola, *Huberianismum egregiè atque invicte prorsus fuisse impugnatum.* Ita autem primò in *Dedicatione*, qvæ ad *Magistratum inclutarum Rerumpubl. HAMBURGENSIS & LUNEBURGENSIS* directa est, de *Huberi molitionibus edisserit: Huberus ad alterum extreñum digrediens hæret in contemplatione electionis ejusmodi, qua Deus Pater, ratione Decreti, in voluntate antegressa tantum intueatur Filium, ejusque meritum, & in hoc universum genus humanum, omniaque ejus individua ad vitam æternam eligat, hæredesque regni cœlestis scribat; sic ut in hac causa aequa sint & dicantur electi, qui sunt extra Ecclesiam, atque qui sunt in Ecclesiâ.* Mediorum verò & τάξεως seu ordinationis mediorum, qua fides in cordibus hominum acceditur, & qua Christus cum suo merito, inque eo gratia eligentis apprehenditur, in universali hac electione, nullum esse respectum dicit. Qvandoquidem verò Calvinianorum dogma dudum explosum & confutatum satis est: nunc autem conatu magno suum defensare, & imperitæ juventuti, sicut & plebeculæ indectæ, obtrudere incipit Huberus; ipsa requirit necesitas, ut de eo Juventus mature, diligenter, accurateq; moneatur, quæque Ecclesiarum nostrarum in hoc fidei capite, fideliter erudiatur. Cum igitur viderem, Huberum in chartis nuper editis, vestrum & nostræ Rerumpubl. inclutarum, mentionem facere, & nescio de quo consensu inter Ecclesiæ nostras & ipsum haud obscure gloriari: scrupulum hunc omnino Juventuti Scholasticæ eximendum esse duxi. Novit enim ipse Huberus, quo vultu, quaq; fronte in oris hisce sit exceptus: quamque planè nullum opinioni sue false invenire potuerit patrocinium. Nunc seqventia, licet ea prolixa valde sint, ex ipsa Oratione afferre decrevi, quæ tum solidam Gualtherij scientiam

I 2

tiam

invitum plane & innocentem Calvinianum. (2 plag.) Eadem Germanico idiomate Anno modo dicto prodit, hanc præ se ferens Inscriptionem: Christliche wohl gemeinte Erinnerung/ neben Gottseliger Betrachtung des theuren und hochwürdigen Abendmahls unsers lieben HErrn und Seligmachers Jesu Christi/ welcher gestalt Er dasselbe / laut dreyer Evangelien / und des Heil. Apostels Pauli / unfehlbaren Gezeugnissen eingesetzt/ auch was für einen trefflichen himmlischen Schatz unter dem Brod und Wein Er uns/ in dessen rechtmäßigem Gebrauch mitztheilen versprochen / in schlechter Einfalt gestellet und vorgetragen der Studirenden Jugend in St. Catharinens Schul zu Lübeck/ als sie nach Gewohnheit dessen Orts/ zur Beicht gehen/ und darauf des HErrn Tisches würdiglichen genießen wollen. (2½. plag.)

tiam indicant, tum causam nostram insigniter perorant, atq; *Actis Huberianis* felicē finem imponere possunt. Hoc verò ordine omnia fluunt.

Ut majori cum perspicuitate institutum nostrum expediamus, primò, controversiæ ipsius (quæ inter Dn. Theologos Wittebergenses, & D. Samuelem Huberum est,) ponemus statum principalem & proprium: deinde sententiæ veræ adferemus fundamenta ; & tertio argumenta nonnulla partis adversæ speciosiora, confutabimus. Doctor Huberus duplicem constituit Electionem: universalem alteram, alteram particularem seu specialem. Universalem considerat in antegressa DEi voluntate (ut ipse loquitur) qua nempè DEus accipiens filium ejusque meritum, omnes homines in eo, seu per eum, eligat & destinet ad salutem & vitam æternam: seu homines illi, in mundi Salvatorem credant seu non credant: seu sint in fidelium seu infidelium numero: seu sint intra Ecclesiam seu extra Ecclesiam. Quo nomine & complexu Turcæ, Judæi, Gentiles, Epicuræi, hostes & cives Ecclesiæ, æquo censu ad hæreditatem regni cœlestis pertinent. Hos & jam omnes, eâ ratione, illustrissimis illis titulis ornat, ut vocentur cum filiis DEi, sancti, justificati, regenerati, inculpati in DEi conspectu, regale sacerdotium. Illam vero Electionem universalem, dicit particularem fieri in applicatione , quatenus videlicet actu salvantur tantum illi , qui aëtâ pœnitentiâ, fide in Christum confugiunt, sanctissimum ipsius λύτρον fide apprehendunt , & in hac fide ad finem usque vitæ perseveranter manent & perstant. Utramque electionem (universalem & particularem) univocè ita & propriè appellari ait. Domini Theologi Wittenbergenses contrà, Electionis nomen & definitionem, nunquam ita universaliter in Scripturis sacris usurpari contendunt, affirmantes, loquendo propriè, sub electionis voce & definitione comprehendi tantum filios Dei, qui fide Christum ejusque meritum apprehendant, & in hac fide per Dei gratiam confirmati ad finem vitæ perseverent, perque eam in Christo ex mero gratuito gratiæ divinæ favore, vitam tandem consequantur æternam, regisque cœlestis beatitudinem. Non igitur hic quæritur , an salvemur per filium Dei, an salvemur per fidem ; an actu consequantur vitam æternam ii, qui in fide ad finem vitæ perstant ; an pauci sunt electi, an reprobi, propria sua pereant incredulitate , an promissiones universales propriè ad solos electos sint trans- ferent-

ferendæ, an electi ita sint circumvallati beneplacito DEi, ut nulla unquam ætate, incredulitate aut rebellione adversus DEum, gratiâ ipsius possint excidere? His enim & consimilibus aliis, statum controversiæ Huberus, minus profectò involvit candidè, eum tantum in finem, ut Lectori fucum faciat, & causæ suæ εἰδωλον fingat speciosum; Theologos verò Wittenbergenses in nescio quorum errorum suspicionem adducat. Quod certè ab ingenuo Theologo & veritatis amante (ut vult videri Huberus) debebat esse alienissimum. Dico igitur, controversiæ statum, nudè & absque omni verborum circuitione positum, esse hunc: Num DEus in æterno electionis proposito, elegerit in Filio, sive per Filium, ad vitam salutemque æternam, omnes omnino homines, quomodounque se habentes, id est, seu credant aut credituri sint in Christum, in quo facta electio est, seu non credant aut non credituri sint: electione propriè, & non ὥμωνύμως ή καταχρησικῶς ita dicta? Hic Rhodus, hīc saltus. Jam verò Ecclesiæ sincerores omnes Augustanam Confessionem amplexæ, inter quas non postremæ sunt, ut ipse Huberus fatetur, Saxonicae nostræ, dogma istud Huberianum non pro genuino, sed adulterino, non pro veteri, sed novo & nuper ex proprio ipsius cerebro conficto habent, & habent quidem meritò. Etenim si universam pervolvamus Scripturam, nuspiciam inventemus, Electionis vocem ad vitam æternam ita latè & universè possumus, ut sub ea non homines tantum, sed hominum monstra quælibet comprehendantur. Ponitur autem ita semper, ubi ex professo de electione ad salutem agitur, ut electio oppositam habeat reprobationem, indeq; separationem aliquam significet. Non quod dicamus, separationem illam fieri respectu voluntatis DEi antecedentis, sed consequentis. Voluntate siquidem antecedente, DEus vult omnes homines promiscuè & indiscriminatim salvos fieri, per ordinem tam & mediorum νάξην à se constitutam. Quando verò hominum alii institutum à DEo ordinem, grata mente amplexantur, verbum audiunt, Sacramentis utuntur, regenerantur per eadem, & sic supremo salutis capiti Christo adglutinantur: alii verò ordinem eundem contemnunt, blasphemant, hostiliter oppugnant; indè adeò fit, ut DEus voluntate consequente concurrens, separationem faciat piorum ab impiis, fidelium ab infidelibus, resipiscientium à non resipiscientibus. Sic Christus inquit, Joh. XV. Elegi vos de mundo, propterea

mundus odit vos. Nec movit nos quicquam $\epsilon\nu\varsigma\alpha\tau\varsigma$ Huberi, quando
 præfractè negat, eligendi vocem separationem aliquam denotare,
 usus hac ratiuncula, Electi dicuntur in Christo : Christus verò est
 universalis respectu $\Delta\pi\lambda\upsilon\tau\varrho\sigma\omega\varsigma$ & satisfactionis pro peccatis totius
 mundi: Ergò & in Christo electio nostra erit universalis, nec ullam
 admittet separationem. Respondemus, esse insufficientem causarum
 enumerationem, quia non omnia ea conjunguntur, quæ in electio-
 nis negotio conjungi debeant. Enim verò, si sola hæc $\Delta\pi\lambda\upsilon\tau\varrho\sigma\omega\varsigma$
 seu satisfactio Christi, in Electionis proposito consideraretur, conce-
 deremus libenter, quod, quemadmodum redemptio universalis est,
 pro omnibus omnino hominibus præstata; ita quoque futura sit uni-
 versalis electio. Jam verò quia Christus Salvator, respectu duplici,
 ad constituendam electionem requiritur, tum quatenus pro peccatis
 totius generis humani passus est, tum quatenus meritum passionis,
 universo mundo acquisitum, applicatur nobis & imputatur per fidem:
 hinc certè fit, ut neutrum sine altero in electionis negotio sit conside-
 randum. Exemplo resevadet manifestior. In articulo justificatio-
 nis æquè dominatur $\Delta\pi\lambda\upsilon\tau\varrho\sigma\omega\varsigma$ illa, & satisfactio pro peccatis
 omnium hominum: nec tamen inde consequitur, omnes
 omnino homines, seu credant seu non credant, propter $\Delta\pi\lambda\upsilon\tau\varrho\sigma\omega\varsigma$ illam justificari. Causa est, quia Christus ratione
 $\Delta\pi\lambda\upsilon\tau\varrho\sigma\omega\varsigma$ ociosus est & manet, nisi apprehendatur fide,
 ejusque meritum per fidem homini peccatori imputetur. Fit igi-
 tur & hic separatio, haud secus atque in electione, ut aliis dicatur ju-
 stificatus, alijs non justificatus. Quodque instat, Dei voluntatem in
 filio semper habere adjunctam $\epsilon\nu\delta\omega\varsigma\alpha\varsigma$, beneplacitum & benevolen-
 tiam erga homines: respondemus, constare immotam $\epsilon\nu\delta\omega\varsigma\alpha\varsigma$ istam
 in filio, erga omnes illos, quos filio per fidem videt esse insertos:
 interea verò, beneplacitum habere Dominum (seu in filio seu per
 filium) etiam in impiis & infidelibus, negamus constantissimè. Quid
 enim Scriptura? Non habitabit, inquit regius Psaltes, Psal. 5, tecum
 ô Jehovah, malignus, nec gloriabundi consistent coram oculis tuis:
 Odisti omnes operantes iniquitatem, perdes omnes loquentes men-
 dacium, virum sanguinum & dolosum abominabitur Jehovah. Sin
 verò per $\epsilon\nu\delta\omega\varsigma\alpha\varsigma$ illam, immensam Dei erga genus humanum $\phi\lambda-$
av

arθεωνίαν velit intelligi, qua motus, filium suum universo miserit
 mundo, nemo est, qui id quidem sit negaturus: modo non uni-
 cam & solam illam faciat causam electionis ὀλικὴν sive totalem
 Huberus, sed totum observet prædestinationis ordinem, ad-
 eoque omnia, quæ ad ordinem istum spectant & requiruntur, dili-
 genter & attentè consideret. Et cur, quæso, negaret Huberus, elec-
 tionem subinferre separationem aliquam hominum, cum Christus
 ipse dicat ad discipulos. Joh. XV. Ego elegi vos de mundo, & Joh.
 XVII. rursum manifestavi, Pater, nomen tuum hominibus, quos de-
 disti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem
 tuum servaverunt: non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti
 mihi, quia tui sunt. Electi igitur non sunt mundus, seu promiscua
 illa omnium hominum fidelium & infidelium turba, sed cœtus qui-
 dam in Deo oculis acceptissimus, è media mundi colluvie segregat-
 tus. Sed, ait Huberus, in confut. brevi p. 5. loqui ibi Christum de
 electione Apostolorum ad Apostolatum, idque hoc argumento co-
 natur obtainere, quia si in his locis de vita agatur æterna, conse-
 quens sit futurum, solos Apostolos ad vitam æternam esse electos,
 separatis reliquis hominibus omnibus, sub nomine mundi à vitâ &
 salute: hoc verò τῶν ἀπόποιων εἴρει ἀπόποιτος. Ast, belle, Hubere,
 minimè sanè bellè hæc affirmas. Quomodo enim ἀπόφεγμα καὶ
 αὐτοθέσεις istorum locorum ad Apostolatum reduces? vides, quam
 gravem ad discipulos suos instituat orationem Salvator. Ego sum
 vitis, inquit, vos palmites, ut igitur viti, palmites & oleæ surculi, sic
 Christiani Christo tanquam capiti suo per fidem inseruntur: Qui
 manet in me, scilicet per fidem, & ego in eo, hic fert fructum mul-
 tum. Si quis in me non manserit, quippe cum solus ego sola & u-
 nica sim vitis, extra quam nulli sperandi fructus sunt, ejectus est foras
 sicut palmes & exaruit, & colligunt eos, & in ignem conjiciunt &
 ardant. Vos amici mei estis, si feceritis, quæcumque ego præcipio
 vobis, non quod velim vos operibus vestris & faciendo amicos meos
 fieri, sed cum per gratiam in amicitiam meam sitis recepti, vestrum
 sit, ut obtemperando mandatis meis, à posteriori, id est, à signo &
 effectu per obedientiam fidei vos meos amicos esse declareris. Vos
 dixi amicos, quia omnia, quæ audivi à Patre, nota feci vobis. Non
 vos

vos me elegistis, sed ego elegi vos gratis: & constitui vos, ut fructum
 afferatis electis dignum, & fructus vester maneat, ut quicquid pe-
 tieritis patrem in nomine meo, det vobis. Si mundus vos odit, scitis,
 quod me prius quam vos odio habuerit. Si è mundo fuissetis, mun-
 dus quod suum est diligeret: Quia verò è mundo non estis, sed ego
 selegi vos è mundo, propterea vos odit mundus. Attende per
 Deum immortalem, mi Hubere, quomodo hæc principaliter de e-
 lectione ad Apostolatum possint accipi! Quid enim? anne & Judas,
 (qui sanè ad Apostolatum est electus) è mundo quoque electus dice-
 tur? anne & hunc mundus pro ingenii sui perversitate prosequitur
 odio? anne & hic è medio mundo, hoc est, impiorum colluvie fue-
 rit eximendus? Non utique dixeris. Et qui quæso ad solos Aposto-
 los gravissimam istam Christi concionem restrinxeris, cum hac ra-
 tione mundus, solis Apostolis foret impositus, & sic quoque reliqui
 omnino omnes sub mundi voce, id est, impiorum multitudine es-
 sent comprehendendi. Noli ita Scripturam interpretari, sed
 majori judicio (ne videaris *αὐτὸν διδάσκετε*) Apostolorum nomi-
 ne omnes fideles designatos esse attende. Hos enim cum Christo
 magistro suo mundus extremè odit, ridet, prosequitur, proscribit.
 Porro Joh. VI. Omne quod dat mihi Pater, inquit Christus, veniet
 ad me: & eum, qui venerit ad me, non ejicio foras. Soli autem cre-
 dentes veniunt ad Christum per fidem, re i qui homines universi con-
 temnunt & repudiant filium Dei, ergo soli hi, qui veniunt ad eum,
 à patre ipsi dicuntur dati, nempe sub ratione æternæ prædestinatio-
 nis ad salutem & vitam æternam. Eodem modo, Johan. X, ad in-
 credulos Judæos ait: Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis:
 oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & seqvuntur
 me: & ego cognoscor ab illis. Quid verò est aliud, esse ex ovi-
 bus Christi, quam esse ex hominum prædestinatorum numero? Jam
 verò Christus dicit, Judæos non esse ex ovibus suis. Quam ob cau-
 sam? Quia non credunt in filium Dei. Manifestum igitur est, solos
 credentes in prædestinatorum numerum referri. Sed regerit hic
 Huberus, testimonium productum ex cap. Joh. VI. explicandum esse
 per alterum Joh. XVII. ubi Salvator affirmat, omnem sibi datam esse
 carnem, ut det ei vitam æternam: At inquam ego, scripturam hoc
 modo ab Hubero non citari, sed mutilari, Locus enim integer sic
 habet:

habet: Pater, venit hora, glorifica filium tuum, ut & filius tuus glorificet te. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut, quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam. Joh. XVII. Hæc autem est vita æterna, ut cognoscant te solum verum DEum, & quem misisti JESUM Christum. Egregius sanè locus, quo luculenter credentium salus, & eorum, qui DEum Filiumque cognoscunt, asseritur. Jugulabitur igitur proprio gladio Huberus. Prædicat sanè Filius DEi immensum illud beneficium Patris sui, quod in omnem carnem sibi potestatem dederit, quod omnia in manus suas tradiderit, ut sit Dominus rerum omnium, adeoq; vitæ simul & mortis. Sed indène concludes: Filium protinus omni carni, quocunque demùm se habeat modo, vitam æternam daturum? Quæ, quæso, hæc ineptè concludendi ratio fuerit: Filius habet potestatem in omnem carnem: Ergò omni carni est vitam æternam datus. Non sic sanè κατὰ τρόπον παύσις. Attende vero istud, quod omittis, Hubere; ut quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam. His vero verbis περὶ Εγών & descriptionem electorum contineri, negari non potest. Electi Christo à Patre dicuntur dati: & contra dati Christo à patre, sunt & dicuntur electi. His dat vitam æternam, secundum illud: Ego vitam æternam do ovibus meis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea. Pater, qui dedit mihi, major omnibus est, neque potest eas quisquam rapere de manu patris mei. Et rem sanè ita habere, immediate subjuncta verba sole clarius evincunt: Hæc est vita æterna, inquit Salvator, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti JESUM Christum. Ergo qui verum vivumque Deum, ejusque filium dilectum non cognoscunt, non plena fiducia invocant & adorant, his non datur vita æterna. Imotum enim stat illud: Qui filiū non habet, vitam non habet: & qui non credit filio, non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum. Potestas igitur data est filio super omnem carnem, ut, qui recipiunt illum, det eis vitam æternam, qui non, judicet eos in novissimo die, æternisq; pœnis ob incredulitatem ipsorum subjiciat. Adhæc, planissimum nobis facit, electionem non pertinere indiferenter ad omnes, sed ad solos credentes, egregium illud Apostoli testimonium Rom. 8. Quos præscivit, hos & prædestinavit: quos prædesti-

destinavit, hos & vocavit: quos vocavit, hos & justificavit: quos justificavit, hos & glorificavit. Quid clarius, quid illustrius, de hominis ad vitam æternam prædestinatione dici aut scribi potuisset? Aurea certè catena hæc cest, cuius annuli singuli, singula suppeditant argumenta. Quos præscivit, inquit Apostolus, hos & prædestinavit. Quinam vero sunt illi præsciti? non sanè indifferenter homines universi. Præscire enim hic determinationem aliquam hominum denotat, ratione ejus, in quo electio fundata & facta est. At electio facta est in Christo: Ergo & præsciti illi dicuntur, qui inventiuntur in Christo. Inveniuntur autem per fidem. Protinus igitur ab hac ~~τεγγάρωσι~~ sequestrandi erunt illi, qui fide carent, ideoq; per eam Christo inseri non possunt. Quos prædestinavit, inquit, hos & vocavit. Prædestinati igitur, sunt in vocatorum cœtu: quō pertinet regula in Scholis Theologicis dudum recepta & approbata: electi non sunt extra cœtum vocatorum quærendi, Turcæ, Judæi, gentiles, sunt extra Ecclesiam & cœtum vocatorum: Non igitur sunt prædestinati ad vitam æternam, nisi Apostolo in os velimus contradicere: Quos vocavit, hos & justificavit. Vocatio sanè suum habet ordinem, suamque mediorum ~~ταξί~~ adjunctam, per quæ media Deus in homine vult operari conversionem & fidem, ut per fidem imputari homini possit meritum filii DEI, & ita homo in DEI conspectu justificari. Ac nulli justificantur seu in incredulitate permanentes: Ergo nec hi ad vitam æternam sunt prædestinati. Quid verò si ita concludas? Quos Deus præscivit, hos prædestinavit. At præscivit omnes homines. E. omnes homines sunt prædestinati. Proh Deum immortalem, quo nunc? quæ illa est confusio distinctionis inter præscientiam Deigeneralem & specialem? Siccine licet specialem in generalem convertere? Cur igitur non sic argumentarer: Quos præscivit Deus, hos prædestinavit. Præscivit Deus Diabolos. E. Diaboli sunt prædestinati. Hoc vero ~~τὰς ανήπω αὐτούς~~ Similiter: quos prædestinavit, hos & vocavit. At votati sunt omnes homines. Omnes igitur ad vitam sunt prædestinati. Respondendum, prædestinationem & vocationem non esse ejusdem latitudinis, affirmante Christo: Multi sunt votati, pauci
verò

verò electi. Non igitur omnes vocati sunt electi. Sed pauci ex isto vocatorum numero. Deinde non omnes quovis tempore vocati sunt homines (gentes enim multæ in Testamento veteri erant non vocatæ Es. LII.) Non igitur licebit de omnibus hominibus pronunciare, quod sint prædestinati. Eundem in modum vitiosa argumentatio est, si sic colligas: quos vocavit, hos & justificavit, omnes igitur, qui vocantur, etiam justificantur, ordo igitur hīc attendendus & nāξis mediorum, quæ vocationi subest. Mens item Apostoli probè consideranda. Non enim ad quosvis vocatos relatam vult Apostolus justificationem, sed ad vocatos prædestinatos, sic ut in cœna hac, semper annulus sequens præcedentes includat. Sententia igitur est. Quos in Christo præcognovit seu præscivit, hos etiam prædestinavit: Quos ita præscitos ab æterno, prædestinavit ab æterno, hos etiam in tempore vocavit: Quos ita prædestinatos vocavit, hos etiam omnes justificavit: & quos ita ab æterno prædestinatos in tempore vocatos justificavit, hos etiam glorificavit. Plane ad eundem modum interpretatur hoc Pauli testimonium D. Augustinus lib. 1. de Prædestinatione. Electi sunt, inquit, ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua DEUS sua futura facta præscivit: Electi sunt etiam de mundo ea vocatione, qua DEUS id, quod prædestinavit, implevit. Quos enim prædestinavit, ipsos & vocavit, nec alios, sed quos ita vocavit, ipsos & justificavit: nec alios, sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, ipsos & glorificavit. Præterea certum & illud est, quod quisque sunt electi, non pereant in æternum, sed in fide per DEI gratiam ad Vitæ finem usque perseveranter maneant, sicutemque consequantur. At verò multi pereant & condemnantur, non igitur omnes homines indiscriminatim sunt electi. Probationem si quis requirat, in promptu est, & quidem ex ipsis Christi ore petita, affirmantis, esse impossibile, ut electi inducantur in errorem, Matth. XXIV. In talem, inquam, errorem, qui fundamentum fidei labefactet, & Electorum sortem in reproborum commutet.

Hæc est voluntas ejus, qui misit me Patris, ait Christus Joh. VI. ut ne quid perdam ex omnibus, quæ dedit mihi, sed resuscitem illa in novissimo die. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam de manu mea: Sic Apostolus præclarè: Rom. 8. Quis intentabit crimina adversus electos DEI? DEUS est qui justificat, quis ille qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, immo qui & suscitatus est, qui etiam est ad dextram DEI, qui & intercedit pro nobis. Persuasum omnino mihi habeo, quod neque mors, neque vita negat Angeli, neque principatus potestatesvè: neque instantia neque futura, neque altitudo neque profunditas, neque ulla creatura alia poterit nos separare à dilectione

Iectione, quae est in Christo IESO, Domino nostro. Solidum namque fundamentum stat, habens signaculum hoc, novit Dominus, qui sunt sui. Hinc est, quod idem Apostolus 2. Timoth. 2. finem proprium, ab electione nonquam, velit separatum. Causa quænam? quia ineptum est affirmare, summum Opificem, & causam omnium causam, suo frustrari fine. Frustrabitur autem Deus, si omnium hominum universalem faciat electionem, nec tamen omnes illi, sed paucissimi ex numero, isto vitam & salutem consequantur æternam. Quid igitur? Quod querit Israël, non est assecutus: Electio autem assecuta est. Et quangdām hīc inter ἐκλεκτοὺς καὶ ἐκλελεγμένους conetur distinguere Huberūs: quia tamen ista grammatica notatio adeò nihil patrocinatur ipsius causæ, ut inconstantiae potius ipsum arguat, non puto attinere, in his commorari diotius. Si enim illud non vult admittere, quod toties à Dn. VVittebergenibus est inculcatum, ἐκλεκτοὺς καὶ ἐκλελεγμένους eodem significato accipi, ob id quod in uno eodemque contextu τῶν ἐκλεκτῶν καὶ ἐκλελεγμένων, vox accipiatur συνωνύμως, Marc. XIII. Άλλα τοὺς ἐκλεκτοὺς δὲ ἐξελέξατο, ἐκολόβωσε τὰς ἡμέρας, id est, propter electos, quos elegit, abbreviavit dies Dominus: connectat mihi contextum Romanorum octavo, in quo sine omni ambiguitate, προώρισμένοι, dicuntur ἐκλεκτοὶ & contra. Quos enim προώρισε, illos καὶ ἐκάλεσε. Et in titulis seu Πτυχαῖαι epistolarum, Apostolus seipsum appellat κλητὸν διπόσολον (non arrogantiæ sanè causâ, sed sensu κεκλεμένον διπόσολον) & verba cū nominalibus conjungit: 1. Cor. I. ἡγιασμένοις ἐν Ιησῷ Χριστῷ, κλητοῖς ἀγίοις. Quæ rursom ita: τοῖς αγίοις θυσιν ἐφέσω. Sed quid hæc ad Andromachē? Lusus est, & puerilis ille quidem fatis. Progrediamur ad firmiora. Nulli Electi (inquit Theologi VVittebergenses in libro Francforti impresso, quem oppugnat Huberūs) statuerunt in novissimo die ad finitam Judicis: nec per sententiam Judicis relegabuntur cum diabolis in ignem æternum: Omnes autem impoenitentes & incredoli statuerunt ad finitam, & ibunt in ignem æternum. Ergo, nulli finaliter impoenitentes & incredoli sunt electi. Quid respondeat Huberūs, ex libro ipsius patet: sed tam est ea responsio frigida, ut nequidem lubeat attingere. Complura alia, in eo, quem dixi modo, libro, adversus Electionis universalitatem, propriè ita, ut vult Huberūs, dictam, proferuntur argumenta, ad quæ cum solidius respondere debuisset, κρησθύεται tantum quasivit, & à vero examine argumentorum Lectorem ad peregrina tantum deducere conatus est.

Plura ex docta illa Disquisitione peti, & actis hisce Huberianis inseri possent, nā charæ obstat angustia, quapropter voto jam finio, Deumque in Nomine IESU Christi invoco, ut ab hisce Ecclesiis & oris Huberianismum, aliaque erronea dogmata, quæ ab absurdis hominibus, hisce temporibus, diversis in locis, defenduntur, longè propellere, omnesque in agnita veritate conservare, atqne adversus malè sentientes tueri, invictosque reddere dignetur!

Pag. 3r. 38. 42 pro voce Cannibalorum. in MSc. occurrente, nomen Camillorum subrituendum esse autumo, p. 67, lin. 20. addat B. L. sententia sit.